# TRIGESIMA MAII
# DE S. FERDINANDO III REGE CASTELLÆ, LEGIONIS, ETC. HISPALI IN HISPANIA BÆTICA.
# ACTA PROLIXIORA:

## Ex Libro VIII Roderici Archiepisc. Toletani coævi, & Chronica Hispanica sancti Regis, juxta Ms. Hispalense edita Vallisoleti, an. MDXXXV.

**Roderici textum integrum, iisdem quibus est editus verbis legendum proponens, sed nonnullis ex Chronica acceptis Capitibus interpolatum; primum, quidem necessarium duxi numeros Capitum quibus distinguitur textus ille, notare in margine usque ad n. 99, ubi Roderici historia finem accipit: deinde congruum censui, hic præmittere distributionem Capitum, in ipsa Chronicæ editione servatam, adscribendo e regione numeros nostros, initio talis cujusque Capitis respondentes; ut, cum aliquis incidet in libros Hispanicos, in quibus Chronica prædicta citatur per Capita, promptum ei sit sensum Latine expressum invenire. Quod si numero addatur *, notabis istic, ubi tale signum reperitur in contextu inchoari, quod ei respondet, Caput. Qui Chronicam hanc prælo paravit, Hispalensis fuit (ut patet ex Prologo) nam nostram appellat: & Hippolytus de Vergara, Discursu 6 de S. Ferdinando, nominatim indicat, D. Didacum Lopez de Cortegana Archidiaconum ipsius Metropolitanæ ecclesiæ. Misit autem is ecgraphum suum an. 1535 Vallisoletum, quia ibi jam impressa fuerant successorum Regum Chronica, ut habetur in titulo; Chronica Sancti Regis D. Ferdinandi, hujus nominis Tertii, qui Hispalim totamque Bæticam obtinuit, & fuit pater D. Alfonsi**

Sapientis, avus D. Sancii Generosi, proavus D. Ferdinandi Quarti, qui veneficio periit; tritavus D. Alfonsi Undecimi, qui Algeziras vicit: quorum omnium Chronicæ similiter habentur impressæ. Habeo postremas duas, totidem intermedias requiro: &, si quis submiserit, beneficium agnoscam.

## PROLOGUS EDITORIS HISPANI.
## Magnifico & Prænobili Domino, Don Fernando Enriquez.

Inter alias scripturas, Magnifice ac Prænobilis Domine, [Post quædam Summaria antea edita,] quæ reperiuntur in bibliotheca hujus sanctæ Ecclesiæ Hispalensis, inveni historiam sancti Regis Don Fernandi, qui acquisivit sibi hanc insignem & prænobilem civitatem. Quamvis autem Summaria quædam hujusmodi Chronicæ fuerint impressa; conducibile tamen mihi visum est, etiam hanc prælo subjicere: utpote copiosiorem, & quia in ea diffuse narrantur Regis illius heroica facinora, æterna memoria digna; ac denique ne diutius conclusa detineatur historia, tantopere expetita, præsertim in hac prænobili civitate, quam obtinuit non sine labore maximo, propriæ vitæ periculo, [ipsa Chronica integra profertur;] impendioque suorum redituum & thesaurorum; quos præmisit in cælum, istic sibi restituendos. Quia autem ad perfectionem historiæ opus est paulo altius repetere ejus originem; incipit narratio a Rege Alfonso, sancti Regis avo, filio Sancii cognomento Desiderati, quo melius intelligatur ordo Regii sui stemmatis, nobiliumque & illustrium ejus operum. Longum enim & confusionis plenum opus foret, ipsum deducere per omnes illos Reges, qui Sanctum regnando præcesserunt; nostræque intentionis dumtaxat est texere illius historiam. [& tantum quoad voces aliquas innovata.] Hæc vero emendanda fuit, aut (ut expressius loquar) renovanda, quoad pronuntiationem nonnullorum

vocabulorum antiquorum, ut a modernis melius intelligantur.

[2] Quia autem ad Dominationem vestram, tamquam primum Equitem civitatis hujus, & ejusdem cum Sancto nominis consortem, pertinet præcipue favere magnis & nobilibus facinoribus ejus; existimavi quod merito deberem ipsi inscribere hanc Chronicam, [offerturque D. Fernando Enriquez,] ut sub ejus auctoritate & favore publicetur in gratiam legere cupientium: idque eo magis, quod Dominatio vestra, hoc anno millesimo quingentesimo decimo quinto, in festo S. Clementis, extulit Gladium ipsius sancti ac beatissimi Regis, quando celebratur solennissima processio, in memoriam ejus diei quo acquisita hæc civitas fuit; & existens in capella Regum, demonstravit desiderium videndi ipsius Chronicam. Hoc enim me permovit, ut, ad obsequendum voluntati isti tuæ, eam emendarem, sicut dixi, & nomini vestro inscriberem: quo scilicet nomine, nec non ingenuis tuis ac nobilibus moribus, imitaris eumdem. [cum excusatione mutati leviter Styli:] Credo equidem non defuturos, qui me reprehendant, dicantque non debuisse mutari vocabula antiqua; quæ plus majestatis & auctoritatis quam moderna videntur habere. Verum illis facile respondetur, quod dum historia aliqua Latina in linguam nostram vulgarem convertitur, non utamur Latinis vocibus, quantumvis magis sonoris quam sint nostra Romana; sed idiomate secundum tempus usitato: quem usum videmus intra spatium quadraginta aut quinquaginta annorum notabiliter mutatum ab eo qui ante fuerat. Verum favente Dominatione vestra, hæc & alia maledicorum dicteria parum mihi curæ sunt, aliud non ambienti quam ut maneam, quod sum, famulus vester. Tali ergo fiducia & robore nitens Historia, invocato nomine Dei, & Virginis Mariæ Dominæ nostræ matris ejus; suisque & vestris protecta armis, initium accipit, quemadmodum sequitur.

[3] Hactenus ille, cujus rationes pro exoletarum vocum mutatione, quamvis in vulgo plausibiles & acceptandæ, eruditis tamen (hoc saltem tempore) minus probabuntur. Tales enim non quærunt vetera istiusmodi scripta, ad excolendum ista lectione sermonem; sed sinceram in iis veritatem spectant, & hanc in originariis verbis certius tenere se credunt. Huc autem spectat, quod R. P. Laurentio Surio accidit, celligendis Sanctorum Actis alias de tota re litteraria optime merito. Is dum sui seculi fastidio consulens, phrasim eorumdem Actorum subinde leviter immutavit, tunc fortaßis non inutilem diligentiam assumpsisse visus fuit, [quod tamen præstitisset non fecisse.] quando hæreticis sciolis risui erat ecclesiasticorum scriptorum rudis simplicitas; nunc autem (eorumdem quoque judiciis in contrarium sic versis, ut vel apicem mutare ex ortographiæ Latinæ legibus scrupulo ducant, suamque fidem egregie probasse se credant, si quotiens, Ammoneo, Conlabor, alioque similia stribliginis semibarbaræ menda servaverint) nunc, inquam, Surii factum arguitur factum ab æquis iniquisque; nec desunt, qui tali occasione sensum quandoque non leviter immutatum vel obscuratum querantur. Antiquorum quippe monumentorum eadem quæ statuarum & monetarum ratio est, quibus apud peritos æstimatores pretium venit ex quadam scabritie fuscoque colore, tamquam veræ antiquitatis earum characteristicis notis. Ea propter decessores ac Magistri mei, Bollandus atque Henschenius, Sanctorum Acta susceperunt edenda, servata primigenia scriptorum, quantumvis subbarbarorum, phrasi. Quo nomine licet eos initio sugillarent dicaciores quidam Franci, Scriptores Silvestres eos appellando; cito tamen obmutuerunt, confusi unanimi approbatione eruditiorum apud se virorum. Hi vero non solum in Latinis medii ævi scriptis invariatum stylum servandum esse judicarunt, sed in ipsis quoque Francici idiomatis libris antiquitus compositis: quorum nonnullis, ut

vulgo consulerent, hodiernæ phrasis contextum recentem addiderunt columnatim, quomodo alias Græco-latina imprimuntur; alii satis habuerunt recentiora vocabula, antiquatis respondentia, ponere in margine, vel Annotationibus subjunctis obscuritatem tollere, & laborem lectoris sublevare. Idem utinam in hac quoque Chronica factum ab editore fuisset: fecisset autem id tanto facilius, quanto pauciora mutarunt Hispani ut in habitu, moribus, religione constantiores quam ceteræ paßim nationes; sic in patrio quoque sermone variando parciores cunctantioresque.

[4] Dicta autem Chronica, sicut Vallisoleti impressa habetur, dividitur in septuaginta octo Capita: quæ quia more nostro contrahuntur ad numerum minorem & reliquo operi conformem, magisque idoneum Annotationibus interponendis; ipsos veteris illius divisionis Titulos, continua serie hic præpono, sicut alibi habentur impreßi ad calcem, addito ubique numero, ubi singula requirenda sunt, in nova nostra divisione. Asteriscus * vero significabit in medio talis paragraphi novum Chronicæ Caput inchoati.

## VETUS DIVISIO.
## Incipit Chronica Sancti Regis Don Fernandi, hoc nomine Tertii, qui acquisivit Hispalim.

Cap. I. De nobili Rege Don Alfonso, hujus nominis nono, filio Regis Don Sancii Desiderati, ejusque grandibus facinoribus. Num. 5

II. De Rege Don Henrico, hujus nominis primo, qui regnavit post mortem nobilis Regis D. Alfonsi. 13

III. Quomodo Rex Henricus comitia celebravit Vallisoleti. 14

IV. De malis & rapinis exercitis per D. Alvarum, & quomodo conatus sit discordiam adducere inter Regem ejusque sororem ac tutricem D. Berengariam. 15

V. In quo commemoratur mors D. Henrici Regis. 16*

VI. Quomodo post Henricum regnavit D. Fernandus, & quomodo D. Alfonsus ejus pater voluerit ipsi regnum auferre, ex consilio Comitis Alvari. 17

VII. Quomodo D. Berengaria & Rex Fernandus fecerunt adferri corpus Regis Henrici a castro Tarreco, & deportari Burgos. 20*

VIII. Quomodo Comes Alvarus & fratres ejus grandia damna intulerint ditionibus Regiis: & quomodo Rege ac matre ejus Herrera transeuntibus, captus fuerit Comes Alvarus, per Equites qui Regem comitabantur. 22

IX. Quomodo Comes Alvarus pepigerit cum Rege de tradendis ei oppidis & arcibus, quas ipse & frater suus tenebant, pro sua liberatione: & quomodo Palentiam ambo se receperint. 23

X. In quo narratur mors Comitis Alvari, & fratris ejus Don Fernandi. 24

XI. Quomodo nobilis Rex Fernandus uxorem duxerit D. Beatricem, filiam D. Philippi ex Alemannia & D. Mariæ filiæ D. Coysat * Imperatoris Constantinopolitani. 25

XII. Quid negotii habuerit D. Fernandus cum aliquot Equitibus, contra ipsum insurgentibus ejusque ditiones populantibus. 27

XIII. Quomodo nobilis Rex Fernandus, post pacificatum regnum suum, perrexerit contra Mauros, crudeli bello eos

persequens, eisdemque multa oppida munitionesque eripiens. 28*

XIV. Quomodo nobilis Rex Fernandus nobilissime construxerit ecclesiam majorem Toleti, ex manubiis Maurorum, deque ejus aliis pluribus facinoribus. 29*

XV. De morte D. Alfonsi Regis Legionensis, patris D. Fernandi: & quomodo hic post obitum patris regnum ejus obtinuerit. 33

XVI. Quomodo nobilis Rex Fernandus iverit Legionem regni caput, fueritque receptus & agnitus Rex absque ulla contradictione. 34*

XVII. Quomodo Rex Fernandus ex condicto accesserit ad oppidum Tabogal, acturus cum Rege Portugalliæ, & miserit fratrem suum Dominum Alfonsum ad infestandum terras Maurorum. 35

XVIII. Quid acciderit D. Alfonso Infanti & D. Alvaro Perez, ingredientibus terras hostiles. 36

XIX. Quomodo D. Alfonsus Infans conflixerit cum Rege Abenhuc, eumque vincens fuderit. 37

XX. Quomodo Christiani, postquam repulissent Mauros intra portas Xerezenses, obtenta victoria collegerint spolia: ac postea occiderint multos Mauros, abditos intra spissitudinem olivetorum. 40

XXI. Quomodo Rex Fernandus obsederit Cordubam, & post dies aliquot obsidionis eamdem obtinuerit, Mauris ei se tradentibus.

Ita habet Hispanicus titulus, sed fallit; debuisset enim sic dumtaxat legi:

Quomodo Christiani obtinuerint suburbium Cordubense. 43

XXII. Quomodo Rex Fernandus confestim discesserit Benaventa, opem laturus iis qui suburbium Cordubense interceperant. 47

XXIII. Quomodo Abenhuc Rex Ecigæ voluerit in auxilium Cordubensium proficisci contra Regem Fernandum; sed ab ea mente deductus fuerit per D. Laurentium Suarez. 49

XXIV. Quomodo D. Laurentius Suarez Eciga discesserit cum tribus equitibus versus castra Regis Fernandi. 50

XXV. Quomodo D. Laurentius, post instructum de omnibus Regem Fernandum, egressus e castris rediverit Ecigam. 52

XXVI. Quomodo Abenhuc, ad auxilium Regi Valentiæ ferendum profectus, a quodam subdito suo sit interfectus Almeriæ. 53

Hic porro addendum fuerat: & quomodo eo mortuo Rex Fernandus Cordubam obtinuerit tradentibus eam Mauris. 54

XXVII. Quomodo major Mezquita Cordubensis fuerit consecrata, per Episcopos qui erant cum Rege Fernando: & quomodo Rex eam restauraverit, & necessaria quædam ædificia adjunxerit, ipsamque dotaverit. 55

XXVIII. Quomodo Rex Fernandus, post mortem D. Beatricis, contraxerit secundas nuptias cum D. Joanna, consobrina Ludovici Francorum Regis, filia Comitis Simonis & D. Mariæ uxoris ejus. 56

**Prologus historiam prosequentis. 58**

**XXIX. Quomodo Rex Fernandus Toleto profectus sit Cordubam, eidem aliisque confiniorum munitionibus, annonæ penuria grandi laborantibus, provisurus. 58***

**XXX. Quomodo Benalhamar, Rex Granatæ, magno cum exercitu Maurorum venerit ad arcem Martanam, eamque ad extremas redegerit angustias. 59**

**XXXI. De morte D. Alvari Perez, deque magno dolore quem inde hausit Rex Fernandus. 60**

**XXXII. Quomodo nobilis Rex, hac vice qua in confiniis fuit, multa oppida & loca munita obtinuerit; ceperitque Regem quemdam Maurum, qui de trans mare venerat. 61**

**XXXIII. De quadam discordia inter D. Fernandum Regem & Equitem quemdam ex Biscaya, qui D. Didacus Lopez nuncupabatur.62**

**XXXIV. Quomodo Rex Fernandus, Burgis ægrotans, miserit filium suum D. Alfonsum ad confinia: cui Toletum venienti occurrerunt quidam legati missi ad Regem patrem ab Abenhud Rege Murciæ: quos D. Alfonsus, ibidem Toleti expeditos, remisit Murciam. 63**

**XXXV. Quomodo Rex a morbo relevatus, Murciam miserit magnam annonæ copiam, & versus confinia discesserit ipse.64**

**XXXVI. Quomodo Rex Fernandus obtinuerit Argonam, aliasque urbes & munitiones.65**

**XXXVII. Quomodo Mauri, Gazulæ dicti, incurrerint in arcem Martanam, & Fratres qui intus erant erumpentes, eosdem repulerint vicerintque. 72**

**XXXVIII. Quomodo Infans Murciam appulerit, cum magno annonæ commeatu, & Mulam obtinuerit. 72***

**XXXIX. Quomodo Rex Fernandus Corduba discesserit cum uxore sua D. Joanna, ad colloquium cum matre sua D. Berengaria in Villa-regali, ac postea in campestria Granatensia incurrerit, & Jaënum obsederit. 73**

**XL. Quomodo Rex Granatensis tradiderit D. Fernando Jaënum urbem, eique seipsum subjecerit. 75**

**XLI. Quomodo nobilis Rex Fernandus cum exercitu suo discesserit Jaëno Hispalim versus, & ex itinere incurrerit vastaveritque agrum Carmonensem, atque Alcalam obtinuerit. 82**

**XLII. Quomodo nobilis Rex Fernandus, post occupatam Alcalam Guadayræ, reversus sit Cordubam; indeque iverit Jaënum, ubi decreta est obsidio Hispalensis. 83**

**XLIII. Quomodo nobilis Rex Fernandus obtinuerit Loram, Cantilianam, Guilenam, & Gerenam, & Alcalam del Rio. 84**

**XLIV. Quomodo adveniens Raymundus Bonifacii cum classe, quam Rex adduci jusserat, pugnarit contra triginta Maurorum triremes, & victoriam obtinuerit. 86**

**XLV. Quomodo quidam Eques, Rodericus Alvarez nuncupatus, fuderit cohortem Maurorum, venientium adversus classem Christianorum. 86**

XLVI. Quomodo D. Pelagius Correa, transierit cum suis flumen, & cis Aznalfarachem residens, magno in periculo versatus sit. 87

XLVII. Quomodo Rex Fernandus castra in Tabladam transtulerit, propter damna in loco priori accepta, & metanti exercitui supervenerint Mauri. 88

XLVIII. De eo quod contigit Garciæ Perez de Vargas cum octo Mauris, quos obviam habuit, a castris ad pabulatores vadens. 89

XLIX. Quomodo post translata in Tabladam castra, in unam eorum partem incurrentes Mauri, pecora quædam abegerint; eademque ab erumpentibus Regiis fuerint recuperata. 91

L. De iis rebus quæ acciderunt Magistro D. Pelagio cum Mauris trans flumen. 92

LI. Quomodo Mauri Aznalfarachenses sæpius eruperint, pugnaturi contra Magistrum S. Jacobi D. Pelagium Corream & copias ejus, & de eo quod contigit. 92*

LII. Quomodo Mauri Hispalenses conati sint exurere classem Christianorum artificio quodam; sed caruerint successu, fusique ac cæsi sint. 93

LIII. Quomodo civitas Carmonensis deditionem ex pacto Regi fecerit. 94

LIV. Quomodo Alxotaf, cum omnibus Mauris Hispalensibus, assultum fecerit in castra Christianorum, dum Rex ad eam fluminis partem transisset, in qua erat Magister D. Pelagius Correa. 95

LV. Quid actum sit inter navales copias Christianorum & Mauros. 95*

LVI. Quomodo Prior S. Joannis decem Equitibus Mauris eripuerit, quam abducebant in castrorum conspectu, turbam vaccarum; animosiusque incurrens, protractus sit in locum infideliarum, cum maximo suo periculo. 98

LVII. Quomodo D. Henricus & Magistri Calatravæ atque Alcantaræ, cum Priore S. Joannis, expilarint suburbia, Benalgofar & Macarenæ dicta. 99

LVIII. Quomodo D. Didacus Lopez de Haro &

Rodericus Gonzalez, qui stationem cum suis habebat ad portam quæ Macarenam ducit, fuderint Mauros, quotidie in ipsos erumpere solitos. 100

LIX. Quomodo Almogavares exercitus Regii insidias posuerint Mauris, & hi eas detexerint, magnoque numero eruperint contra insidiatores. 101

LX. Quomodo D. Laurentius Suarez, & Garcias Perez de Vargas, atque alii Equites, cum exiguis copiis, fuderint aciem Maurorum ad * portam Guadayræ. 102

LXI. Quomodo Rex Fernandus fregerit pontem Maurorum ad Trianam, duobus magnis navigiis usus, quæ favens ventus in ipsum impegit. 104

LXII. Quomodo Rex Fernandus, videns confractum Pontem, transierit personaliter ad obsidendam Trianam. 106

LXIII. De eo quod contigit Garciæ Perez cum quodam Infantione, eadem quæ ipse insignia gestante. 107

**LXIV. Quomodo D. Petrus Ponce & Equites quidam alii posuerint insidias Mauris, damna multa inferentibus stationi Archiepiscopi S. Jacobi, quia male posita erat; & multos Mauros occiderint. 109**

**LXV. Quomodo viginti Equites Christianos, ad custodiam pabulatorum constitutos, invaserint quinquaginta equites Mauri, perituros nisi ipsis succursum fuisset. 110**

**LXVI. Quomodo Maurus quidam, Orias dictus, qui ex voto Hispalim venerat in auxilium suorum gentilium, fraude tentaverit occidere D. Alfonsum Infantem, sed irrito conatu. 111**

**LXVII. Quomodo Rex Alfonsus Archiepiscopum S. Jacobi dimiserit domum, quia infirmus erat; & quomodo ad ejus stationem transierit D. Pelagius. 111***

**LXVIII. Quomodo Orias aliique Mauri Hispali Trianam transierint, eisque præclusus fuerit reditus ad civitatem. 112**

**LXIX. Quomodo Mauri Hispalenses proposuerint conditiones Regi Fernando, eique pepigerint tradere civitatem. 112***

**LXX. Quomodo Mauri Hispalenses tradiderint claves civitatis Regi Fernando, eamque liberam dimiserint. 112***

**LXXI. Quomodo nobilis Rex Fernandus, ingressus Hispalim, magna cum lætitia & solenni processione receptus sit ab Episcopis & Clero. 113**

**LXXII. Ubi exponuntur labores, quos Rex cum suis exantlavit in obsidione Hispalensi, & ratio castrorum ejus describitur. 113***

LXXIII. Ubi initur ratio temporis, quo Hispalim Rex Fernandus obsedit; ipsiusque urbis ac nationis Castellanæ supra alias omnes excellentiæ declarantur. 114

LXXIV. Quomodo Rex Fernandus magnis redditibus dotaverit Ecclesiam Hispalensem, & Archiepiscopum atque Canonicos instituerit. 116

LXXV. De tempore, quod Rex Fernandus impendit acquirendæ toti Andaluziæ: & quomodo mare trajicere voluerit. 149*

LXXVI. Quomodo nobilis Rex Fernandus tempore mortis suæ receperit sancta Sacramenta, cum magna humilitate & devotione: item quomodo advocatis coram se filiis extrema monita dederit. 151

LXXVII. Quomodo Rex Fernandus expiraverit, sancto fine vitam concludens, & animam Deo creatori reddens. 153

LXXVIII. De planctu & sepultura sancti Regis. 154

Atque hic finitur Chronica Sancti Regis Don Fernandi, hoc nomine tertii, qui debellavit & obtinuit Hispalim ac totam Andaluziam, quam amiserat Rex Rodericus, Gothorum Regum ultimus. Fuit autem impressa Vallisoleti in ædibus Sebastiani Martinez juxta S. Andreæ, absolutaque impressio est die quarto mensis Augusti, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto.

Placet autem ad faciliorem intellectum totius sequentis historæ, expeditiones bellicas Sancti complexa, Tabellam proponere geographicam earum provinciarum, quas suo imperio ille tenuit.

INTERPRETATIO NOMINVM HISPANICORVM.

**Alcala de Henares, Complutum,**
**Andaluzia, Bætica.**
**Astorga, Asturica.**
**Avila, Abula,**
**Badagos, Pax Augusta.**
**Baëza, Beatia.**
**Baza, Basti.**
**Bellorado, Bellum foramen.**
**Braga, Bracara.**
**Braganza, Brigantium.**
**Burgos, Burgi.**
**Cadiz, Gades.**
**Calahorra, Calagurris.**
**Cartagéna, Carthago nova.**
**Ciùdad, civitas.**
**Coïmbra, Conimbrica.**
**Cordova, Corduba.**
**Cuenza, Concha.**
**Duero, Durius fluvius.**
**Ebro, Iberus fluvius.**
**Estrecho de Gibraltàr, Fretum Gaditanum,**
**Estremadura, Extrema Durii.**
**Evora, Ebora.**
**Ezíga, Asti.**
**Gribaltar & Ceuta, Columnæ Herculeæ.**
**Guadalquivir, Bætis fluvius.**
**Guadiana, Anas fluvius.**
**Huesca, Osca.**
**Huete, Opta.**
**Jaën, Giennium.**
**Leòn, Legio.**
**Lisbóna, Vlißipona.**
**Medellìn, Metellinum.**
**Medína, Metymna.**
**Mérida, Emerita.**
**Mondonédo, Mindon.**

Navas, Campestria.
Niebla, Nebula.
Olmédo, Vlmetum.
Ossuna, Vrsaona.
Oviedo, Ovietum.
Pamplona, Pompejopolis.
Portalégre, Portus alacris,
Porto, Portus.
Ronda, Arunda.
Rio, fluvius.
Salamanca, Salmantica.
Santáren, S. Irene.
Santjago, S. Iacobus.
Sevilla, Hispalis.
Sierra, montana.
Siguenza, Seguntia.
Simancas, Simantica.
Sintubes, Setubal.
Tajo, Tagus fluvius.
Tanger, Tingis.
Tolédo, Toletum.
Toro, Taurus.
Tuy, Tude.
Valladolid, Vallisoletum,
Venta, villa.
Villa, oppidum.
Viseù, Viseum.
Xucar, Sucaris.
Zaragóça, Cæsaraugusta.

## CAPUT I.

### Alfonsi IX Regis Castellæ, qui sancto Regi avus maternus fuit, res gestæ & obitus, Sanctique nativitas.

[5] Rex Alfonsus, qui obtinuit victoriam dictam de las Navas de Tolosa, fuit filius Regis Sancii, cognomine Desiderati; [Ferdinandi avus maternus Alfonsus,] & nepos Regis Alfonsi, appellati Imperatoris Hispaniarum. Nobilis iste Rex Alfonsus cœpit regnare a quarto anno ætatis suæ, regnavit annis quinquaginta tribus; habuitque uxorem D. Alienor, filiam Regis Angliæ, ex qua genuit D. Henricum qui post ipsum regnavit, & D. Ferdinandum; & D. Berengariam, Legionensem Reginam; & D. Alienor Reginam Aragoniæ; & D. Urracam, Reginam Portugalliæ; & D. Blancam, Reginam Franciæ, quæ fuit mater S. Ludovici Regis; & D. Constantiam, quæ fuit Abbatissa monasterii de las Huelgas, quod Rex pater suus fundavit Burgis, sicut infra dicemus. Idem nobilis Rex instituit Ordinem Equitum S. Jacobi, cujus Caput jussit residere in oppido Ucles: [institutor Equitum S. Jacobi,] deditque hujus Ordinis Equitibus pro tessera sanguineum gladium, in memoriam victoriarum & sanguinis Maurici per eos effusi. Ut autem terra habitaretur defendereturque contra Mauros, deduxit colonias secundum ripam Tagi & per montem Ocaniæ: quem tractum, una cum montibus Oregæ & Castello Mora, aliisque locis & oppidis, dicto Ordini tradidit possidendum. Quia autem pater suus Rex Sancius Abbati Fiteriensi Ordinis Cisterciensis dedit Calatravam, confirmavit eidem ipsam possessionem, & exaltavit Militiam istius Ordinis, dando eidem multa loca & oppida, per quæ ipsa Religio valde crevit & sublimata est, ad Dei gloriam & Coronæ Regiæ ornamentum.

[6] [fundator Palentinæ urbis & academiæ ac monaster. Burgensis,] Prosequens autem bene cœpta, ædificavit civitatem Palentiam, incolis eo deductis, fecitque in ea ecclesiam Cathedralem, ornans eam mitra & Episcopo. Similiter ædificavit monasterium de las Huelgas Burgis, in quo posuit Monachas, nobilium filias, dotans ipsum multis fundis: & juxta illud erexit hospitale, quod similiter dotavit ad pauperum receptionem. Et quia in Hispaniæ regnis

non parum defecerant scientiæ, propter Mauros qui totam fere regionem occupabant; sancto suo desiderio impulsus Rex, Palentiæ constituit Studium universale, viros eruditos ac litteratos accersens e Francia & Italia, ut subditis suis illas prælegerent: quod Studium diu in Castella floruit. Postea cum bellum Mauricum continuaretur, quidam Maurorum Alarabum Rex, Miramolinus nomine, ex familia Almohadarum, [circa Arcos victus a Mauris] venit cum maxima suorum multitudine: cui obviam processit Rex cum suis circa h Alarcos: sed quia Mauri erant longe plures numero, velut locustæ; profligatus est, ægreque ac violenter a suis quibusdam Equitibus extractus e campo, in quo velut Miles generosus mori decreverat: deinde vero nullum suscepit gaudium, priusquam rediret ad ultionem sumendam. Ut autem tam Equites suos quam reliquam omnem armigeram gentem exerceret ad pugnam; edixit ut dimitterent vestes pretiosas & aurifrigia aliosque superfluos ornatus, utque eorum pretium impenderent armis: [eosdem profligat ad Navas Tolosanas,] quam enim displicebat Deo inanis ille luxus, tam placituras expensas factas in comparando contra Mauros belli instrumento. Hunc in modum præparatis rebus exivit ad bellum, & in regionem Maurorum ingressus est trans fluvium Xuecar, occupavitque multas villas atque oppida, spolians & occidens plurimos Mauros. Paulo post venit Toletum; ibique copiosum militem colligens, cum exercitu suo egressus est, occupavitque Calatravam atque alia oppida, donec pervenit usque ad fauces Muladarii supra las Navas de Tolosa, ubi obtinuit celebrem victoriam a dicto loco nuncupatam, in qua feruntur occubuisse usque ad ducenta Maurorum millia, & dumtaxat viginti quinque Christiani; unde hodieque ibi inveniuntur plurimæ cuspides ferreæ lancearum ac sagittarum, fræna equestria, aliaque similia ingentis prælii monumenta; adeo ut manente ibidem Rege cum exercitu, totis duobus diebus non aliis lignis ad ignem usi sint, quam hastis

sagittisque confractis, sicut scribit Archiepiscopus Toletanus Rodericus, testis oculatus. [16 Iulii 1213,] Commissum fuit hoc prœlium die lunæ XVI Julii, anno Incarnationis Dominicæ MCCXIII.

[7] Inde porro Rex progrediens obtinuit Ubedam, Vilches, Vannos, Tolosam, & Castrum-Ferral, aliaque loca plurima, quæ usque hodie remanent sub potestate Christianorum, cum magno gloriæ suæ Regiæ ac fidei Catholicæ incremento, tempore Apostolici Romani Innocentii Tertii. Post eum annum, divino id agente judicio, cessarunt pluviæ per totam Hispaniam, & vehemens regionibus fames incubuit propter siccitatem; adeo ut multi morerentur per plateas, quibus nec suppetebat quod comederant, [& post famem publicam utcumque levata] nec ab aliis præberi poterat. Quare tam Rex quam Prælati ac Nobiles largas erogarunt eleemosynas: sed annonæ caritas tanta erat, ut non solum deficeret panis, verum etiam aves & pecora; quia propter siccitatem deerat palea & fœnum, neque in agris quidquam viroris reperiebatur. Inter hæc nobilis iste Rex Placentiam tendens infirmari cœpit in via, venitque Arevalum, & mortuus est anno suæ ætatis quinquagesimo octavo, quorum quinquaginta quatuor regnavit, anno autem Domini MCCXIV, die XXIII Septembris: [moritur 17 Sept. 1214.] sepultusque est Burgis in monasterio de las Huelgas, quod fundarat; tanto sui relicto desiderio apud omnes, ut numquam oblivioni danda sit gloria bonitatis suæ: imprimis autem filia ejus Berengaria eum luxit, tantopere hac morte affligens sese, ut & ipsa ad vitæ discrimen deducta fuerit.

## ANNOTATA.

Ita etiam habet Chronica Generalis, Toletanus vero lib. 7 cap. 15 dicit quod patri suo trimus successit, Æra MCXCVIII, id est anno Christi 1160. Ast Garibajus & post

hunc Mariana, quem alii recentiores sequuntur, lib. XI cap. 3 scribit, [A. Castellani œtas & obitus.] quod Sanctio Castellæ Regi anno 1155 tertio Idus Novembris, uti Annales Toletani ajunt, filius natus est, Alfonsus nomine. & cap. 7 Anno 1158 Rex Toleti obiit pridie kalend. Septembris, quando filius Alfonsus, trimus quidem dici poterat rotundo numero, qui præcise subducendo numeros jam vixerat annos 2, menses 9, dies 21: sed conveniunt omnes quod Alfonsus obierit an. 1214, 17 Septemb. & sic regnasset ille, in istorum sententia, annos 56 dies 18. Ego, ut a Toletani testimonio secure discedam, merito requiro certiora antiquorum instrumentorum testimonia, quam sint Annales, Toletano Archiepiscopo ignoti & forsan multo posteriores, quos qui solos allegant, solos videntur habuisse auctores sententiæ suæ.

Ita nomen hoc scribitur Toletano, Hispanice Leonor, quod multis Eleonora redditur.

Imo Ferdinandos duos, & Sancium; sed hujus ac prioris Ferdinandi nulla hic habita ratio, quia impuberes obierunt: posterior autem Ferdinandus, quia ipse etiam ante patrem obiit annos 21 natus, [ejusdem filii.] postponitur ei qui ad regnum pervenit, licet tanto juniori: similiter in recensendis liberis ordo potius dignitatis spectatur, & omnium natu minima secundo loco punitur; quia Aragoniæ regnum antiquius est regno Portugalliæ, & utrumque Hispanis potius est regno Franciæ, utpote extraneo. Constantia, videtur omnium postrema fuisse, & anno 1209 nata.

De tribus Ordinibus Militaribus, S. Iacobi, Calatravæ, & Alcantaræ insignem librum scripsit Franciscus Carus de Torres, ediditque Madriti an. 1629.

[& Palentini Episcopatus initium.] Antiquior Vrbis ac Sedis hujus instauratio est, & Regi Sancio patri Aldefonsi

adscribenda probatur ex diplomatis Regiis Æra 1175 signatis, translato Pontio ab ab Ovetano Episcopatu ad hunc novum.

Ita paßim, quando ex Hispanico reddendum quid erit, Hispanica nomina locorum hominumque retinebimus: [Olcarum Burgis monasterium.] posset alias Monasterium-deliciarum verti, scilicet spiritualium: sunt enim Huelgæ, viridaria & domus recreationi & quieti comparatæ. Toletanus paßim & simpliciter appellat monasterium Regale, vel S. Mariæ Regalis; deque ejus & Academiæ fundatione, facta ad instantiam Reginæ Alienor sub an. 1199, agit lib. 7 cap. 33 & 34: fuit autem Ordinis Cisterciensis. Mariana Hispanam vocem Latina forma donans, Olcas vocat.

Academia Palentina multum celebratur propter S. Dominicum, Ordinis Prædicatorum auctorem, qui prodiit ex iis Scholis, ab anno circiter 1030 per Sancium Regem erectis, missus eo sub an. 1184. [Academiæ Palentinæ erectio.] Alphonsus Garcias Matamori an. 1553 opusculum scripsit de Academiis Hispaniæ, sed conditam ait ab eo quo scribebat tempore annis circiter 380, ergo circa annum Christi 1173. Atqui tunc necdum natus Ferdinandus erat, multo minus ejus filius, quem ipse Academiæ conditorem facit, pronepotem scilicet loco proavi accipiens. Quemadmodum autem ille erravit in nominando Rege; sis & in eo, quod consilii talis auctorem fecerit D. Tellium Tellii, Episcopum, æque ac Alfonsus X juniorem institutione tali. Certe incredibile est, auctorem Chronicæ Ferdinandææ, ipso hoc tempore aut proximo viventem quo fundatam Academiam vult Matamorus, errare potuisse in ejus conditore nominando, quamvis erraverit in tempore fundati Episcopatus. Fortaßis autem Alfonsus IX ad Episcopatum ditandum tantum contulit, ut quasi alter ejus fundator censeri potuerit: idem suspicarer de Alfonso X factum in ornanda Academia, nisi Mariana

lib. 13 cap. 1 assereret, quod Ferdinandus an. 1239 Palentinam scholam, ab Alfonso avo constitutam, Salmanticam transtulit, ubi Alfonsus Legionensis pater suus novæ scholæ fundamenta jam ante posuerat.

Perperam in vulgata legebatur Arcos: erat autem inter Caraeuel & Civitatem-reginarum, & inter ruinas adhuc huc superest magnæ devotionis ecclesia, Dominæ nostrae de Alarcos. Toletanus Alarcurim appellat; agensque de clade hic acceptæ a Christianis lib. 7 cap. 29, adscribit eam Æræ 1233, qui nobis est annus 1195.

Calatravam Mauri recuperarant, post cladem Christianis illatam ad Alarcurim, una cum reliqua provincia usque Ibaniez sex leucis a Toleto, itaque expulsus inde fuerat Ordo, quem istic Rex Sancius collocarat, ut supra dictum est.

Toletano, Mansio in radice montis de Muradal; Hispanice, Puerto de Muladar; co scilicet sensu, quo Portus siccos gens illa appellat, quasvis Angustias montium.

Vide Toletanum lib. 8 cap. 6 & reliquam celeberrimæ pugnæ historiam ibi lege. Idem lib. 7 cap. 10 Miramolinum eam cladem passum vocat Aben-mahomath, alii Mahometem Viridem appellant. Rediit is inglorius in Africam, Hispania fratri Abozecrit frustra commendata: nam ipso digresso plurimi ubique surrexerunt Reges, solius tributi pensione Miramolini dominium venerantes, quæ præcipua exterminii Maurici occasio fuit.

In Regesto Epistolarum Innocentii III, per Baluzium edito, [Innocentii 3 litteræ in favorem A. Castellani & Primogeniti ejus Ferdinandi] lib. 13 Epist. 183, an. 1210 XVI Kalend. Decembr. monentur Hispaniarum Episcopi, ut Ferdinando Aldefonsi illustris Regis Castellæ primogenito, militiæ suæ primitias omnipotenti Deo

dedicare desideranti, ad exterminandum inimicos nominis Christiani de finibus hereditatis ipsius, quam impie occuparunt, ceterisque Regibus & Principibus idem acturis, adsint: & lib. 14 Ep. 3, VIII Kalend. Martii, jubentur ecclesiastica censura compescere, siquis forte Regum Hispaniæ ipsum interim præsumpserit violare. Et hoc ita mandatum a se esse, ipsimet Alfonso ejusque filio, qui Legatum in Hispaniam mitti postularant, significat Pontifex per Epp. 4 & 5, ne scilicet laudabile utriusque propositum valeat ab aliquibus aliqualiter impediri; [contra Mauros ituri:] sed mißionem Legati excusat. Anno autem sequenti per Epistolam 154 ejusdem lib. 14, datam 11 Nonas Februarii Illustri Regi Castellæ, de infortuniis quæ nuper Serenitati Regiæ acciderunt, (quorum præcipuum fuit ipsa mors filii) paterno condolens affectu, respondet; sese ad ejus petitionem & instantiam, Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Franciæ & Provinciam constitutis, [implorata a Francis auxilia.] dare in mandatis, ut subditos suos sedulis exhortationibus moveant & inducant, in remissionem omnium peccatorum, ut, cum ipse Saracenis in Octavis Pentecostes proxime affuturis campestre bellum indixerit; in eo necessitatis articulo ipsi succurrentes, necessarium impendant auxilium, in rebus pariter & personis; ut, per hæc & alia quæ fecerint, cælestis regni gloriam consequantur. [concessæ indulgentiæ,] Pari quoque remissione gaudere concedit peregrinos, qui propria devotione undecumque processerint, ad idem opus fideliter exequendum. Denique anno 1211 Nonis Aprilis scripsit Toletano & Compostellano Archiepiscopis..... quatenus Reges Hispaniarum moneant prudenter, & efficaciter inducant, ut pacem aut treugam servent ad invicem illibatam, præsertim hac imminenti Saracenorum guerra durante.... quin etiam mutuum auxilium sibi præstent adversus Dominicæ Crucis inimicos.... firmiter inhibentes ne se præsumant jungere Saracenis, [cohibiti hostes & æmuli,] vel contra Christianos illis consilium vel auxilium impertiri.

Quod si forte Legionensis, de quo specialiter dicitur, sive alius cum Saracenis offendere præsumpserit Christianos; denuntient, sublato appellationis obstaculo, personam ipsius Excommunicationis vinculo innodatam, & Interdicto suppositam terram ejus; hominibus suis, ne in hoc sequantur eumdem, sub interminatione anathematis inhibentes. Hæc fusius exponenda fuerunt, ne quis ad Sanctum nostrum, vix duodennem cum priores Epistolæ scriberentur, [quæ omnia perperam attributa A. Legion. & Sancto Regi.] aut ad ejus patrem Alfonsum Legionensem pertinere credat cum Laureto, expresse inscripta Castellano: cui non scribendo solum, sed etiam orando, ad victoriam valde pro fuisse Innocentium, par est credere. Quod autem ad implorata ad eodem Castellano externorum auxilia attinet; idem Balucius, qui Innocentii Registrum vulgavit, etiam præfati Regis ad Philippum Francorum Regem epistolam exhibet, 2 Miscellaneorum suorum pag. 251, qua exponens Saracenorum immane in Christianos odium, significat se cum iis in instanti die Maji procul dubio conflicturum: ideoque preces porrigit cum singultu, quatenus de regno suo vernaculos expeditos & armatos milites ad coadjutorium transmittat: nihilque dubitat, quin, si sanguis suus in conflictu Christi respondent sanguini, vere poterit inter Martyres computari.

Hactenus historiam Aldefonsi IX, ex Roderico Toletano, compendio sumptam habes, ut est in Chronica nostra: nunc ipsamet Roderici verba, idest totum librum octavum consequenter accipe, capitibus nonnulis ex Chronica additis interpolandum; quando quidem auctor Chronicæ, in iis quæ a Roderico accipere potuit, dumtaxat interpretem egit.

## PARERGON I.

# Miraculosa pueri Ferdinandi curatio apud Deiparam Oniensem, ab Alfonso X Sancti filio ryhtmice celebrata.

[8] Inter alia vetera monumenta, in Scuriacensi Bibliophylacio reperienda, numeratur Codex unus, [Regis Sancti filius Alfonsus] servari dignißimus, utpote continens quamplurima Cantica, ab Alfonso Sapiente, Sancti Regis primogenito ac successore, composita. Sunt autem illa descripta Rhythmo, non Castellano, sed Callaico sive Gallæco: cujus rei ratio videtur reddi posse, quod pubertatis annos ingressus Princeps, & majorem quam pro ætate sapientiam præseferens, fuerit in partem regiarum curarum cito accitus, atque post mortem matris & secundas patris sui nuptias missus Legionem vel in Galliciam, simul & regnandi peritiam ipso exercitio acquisiturus, & extremas illas auctioris jam Imperii provincias, in oppositis plane finibus ut plurimum occupato patre, præsentia sua conservaturus in officio. Certe non ante ætatis annum XXI, & quidem postea non nisi bis, fuisse illum in Bætica legimus, priusquam Rex fieret; unde intelligitur alibi ut plurimum degisse quoad pater vixit, præsertim in sua juventute: ubi autem potius, quam in Gallicia, præcipua Legionensis regni parte, unde pater & avia longius aberant? Ibi ergo Callaicum idioma, dialecto valde diversum a Castellano, non solum didicerit, sed etiam sic adamarit, ut scribendis eo Rhythmis delectaretur. Horum autem volumen, tamquam primum sui ingenii fœtum, carum habens, etiam cum jam Rex mortuo Patre Hispali sedem haberet; ipsum per extremæ suæ voluntatis testatemtarias tabulas, [inter alios rythmos lingua Gallæca scriptos,] una cum corpore legasse dicitur Hispalensi Ecclesiæ. Fuit namque, ut testatur Zuniga in illius archivo servatus liber, quo ad usque Philippus II, gloriosæ memoriæ Monarcha, ædificato Scuriacensi Palatio, ad erectam ibidem Bibliothecam transferri Regium istum codicem jußit.

[9] Horum Rhythmorum unus sic inscribitur. Esta e como Santa Maria guareceu en Onna al Rey don Fernando, quando era menino, de una grand' enfermedade que avia: quod Latine sonat: Hæc Ode est de modo, quo Sancta Maria sanavit. Regem Don Fernandum, quando erat puer, de magna quadam quam habebat infirmitate. Vbi nota, Sancti Regis Vasconum & Castellanorum mandato factum fuisse, [composuit unum quo canit,] sub annum MXXX aut citius, ut Benedictini Monachi, ex Cluniacensi disciplina traducti in Hispaniam, monasterium istud Oniense tenendum acciperent, Sanctimonialibus, quæ illud antea tenebant, Baylenum oppidum ablegatis, ut scribit Mariana lib. 8 cap. 14. Hic ergo erat illa, miraculis celebris, Deiparæ imago, de qua canentem Callaica lingua Alfonsum Regem audire juvat, simulque exhibere veteris Callaicæ linguæ specimen, quod gratum futurum confido, non Hispanis dumtaxat, sed etiam exteris peregrinarum linguarum curiosis. Vt autem addita columlamnatim interpretatio Latina fidelior sit, neque metro neque rhythmo adstringere illam visum est.

Ben per esta a os Reies
D'amar en Santa Maria:
Ca en as muy grandes coïtas
Ela os acorre guia. [ad Deiparæ honorem,]
Na muito à amar deve,
Porque Deus nossa figura
Pillou de la, e pres carne:
Ar porque de sa natura
Veno, e porque justiça
Tenen del e dereitura,
E Rey nome de Deus este.
Ca el Reyna toda via.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
E por ende un gran miragre
Direi, que aveno, quando

Era moço pequennino
O muy bon Rey Don Fernando:
Que sempre Deus e sa Madre
Amou, e foi de seu bando:
Porque conquerou de Mauros
O mais da Andaluzia.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
Este Menin en Castela
Con Rey Don Alfonso era
Seu avoo, que do Reyno [quomodo pater suus; adhuc puer apud avum maternum,]
De Galiza o fezera
Venir, e que o amava
A gran mavavilla fera;
E ar era y sa madre,
[Col. 0310C] A que muy ende prazia.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
E sa avoa y era,
Filla del Rey d' Ingraterra,
Moller del Rey Don Alfonso:
Porque el passou a serra,
E foi entraren Gascona
Por la ganar por guerra:
E ou vend à mayor parte,
Ca todo ben merecia.
Ben par esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.

Videtur decens esse Regibus, ut ament S. Mariam; nam in majoribus necessitatibus adest eis dux viæ.

Multum autem amari debet, quia Deus formam nostram ex ea sumpsit, & carnem accepit. Quamvis vero ex sua natura & ex titulo justitiæ Deo directe conveniat nomen

Regis: ipsa tamen est Regina. Videtur decens esse Regibus, ut ament S. Mariam &c.

Idcirco narrabo grande miraculum, quod evenit quando puer parvulus erat Rex optimus Don Fernandus: qui Deum & Matrem suam semper amavit: ideoque eos a parte sua stantes habuit, & ita de Mauris acquisivit majorem partem Bæticæ, Videtur decens esse Regibus &c.

Parvulus hic erat in Castella, cum Rege Don Alfonso avo suo, qui ex regno Galicię eum venire fecerat, ipsumque amabat, ac multum demirabatur ejus indolem: aderat ibidem etiam Mater, cui eadem ex causa perquam carus erat. Videtur decens esse Regibus &c.

Anderat quoque avia sua, quæ erat filia Regis Angliæ, uxor Don Alfonsi Regis. Hic autem transitis montibus intravit Vasconiam, ut eam bello lucraretur, sicut etiam majorem ejus parte devicit: nam totā bene merebatur. Videtur decens esse Regibus &c.

[10] Meminit expeditionis hujus Rodericus Toletanus lib. 7 cap. 34; Et totam, inquit, fere Vasconiam, præter Burdegalam, Regulam, & Bayonam, suæ subdiderat ditioni. Fugerat enim in Africam Rex Sancius, territus potentia adversarii, contra se venientis una cum fœderato Aragoniæ Rege: inde autem revertens absque speratis subsidiis, pacem tamen ab adversariis obtinuit, prono in eam potißimum Alfonso, ob bellum Mauricum quod meditabatur, [a subacta Vasconia regressum,] ulturus acceptam ad Alarcurim cladem. Post victoriam autem de iisdem ad Navas Tolosanas relatam, recepit regnum ex parte Sancius, pro navata eo bello opera, exceptis locis quatuordecim controversi juris; Victoria scilicet aliisque in Biscaya oppidis; atque ita hæc provincia annexa Regno Castellæ permansit. Porro cum Induciæ Mauricæ, quibus durantibus gestum ab Alfonso fuit bellum Vasconicum,

expiraverint anno MCCX; recte fecisse videmur, quod miraculum hoc adscripserimus anno præcedenti, utpote factum post Alfonsi reditum ex Vasconia, ut mox apparebit. Certe jam non solum puer Henricus, regni successor futurus, natusque anno MCCIIII aliquam ætatem attigerat; sed etiam Alfonsus, Sancti frater, quem simul cum eo apud avum fuisse mox apparebit. Fuisset ergo ex hoc calculo duodennis Ferdinandus, adeoque idoneus ad augendum insigniter, tali accepto beneficio, Deiparæ amorem, quem cum lacte materno hauserat. Cum eodem lacte etiam traxisse censeri potest, propensißimum ad pauperes juvandos affectum: de quo Lauretus pag. 97 ait, insantem adhuc inter materna brachia, solitum illis ubicumque conspectis projicere, etiam de fenestra, quidquid ex collo gerebat bullarū; quod ne faceret, implendam ei mature manum fuisse nummulis sic dispertiendis. Sed id aliaque similia maltem apud antiquos scriptores legere; nec placent nova, quamvis pia, de rebus antiquis, nullo teste allegato prolata. Tale imprimis est apud eumdem Lauretum lib. 2 pag. 99, quod Sanctus an. MCCXLII secuturis post Regibus exemplum primus dederit lavandi duodecim pauperibus pedes in die Cœnæ Domini: ubi admirationi imprimis mibi est annus, post tot secula primū proditus, nec tamen ullo teste firmatus ab eo qui alibi non parce fontes citat unde aliquid hausit. His prænotatis prosequamur Poëma Regium lingua utraque.

[11]

E pois tornous en Castela
De si en Bourgos morava,
E un Hospital fazia
El, e sa Moller lavrara
O monasteri das Olgas.
E en quant assi estava
D'os seus fillos e d'os nietos,

Muy grand prœzer recebia.
Ben per esta aos Reyes &c.
D'amar en santa Maria
Ca en as mui grandes coïtas
Ela os accorre guia.
Mais Deus non quer que o omo
Este sempr' en un estado,
Quis que Don Fernando fesse
O seu neto tan cuitado
D'una grand' enfermedade,
Que foi dal desasperado
El Rei: mas enton sa madre
Tornou tal come san dia.
Ben per esta a os Reyes
D amar en Santa Maria &c.
E oyu falar de Onna
V'avia gran vertude,
Dis ela', Levalo quero
A lo, assi Deus m'ayudo:
Ca ben creo que a Virgen
Lle de vida e saüde.
Et quando aquest ouve dito,
De seu padre s espedia.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &.
Quantos la ir assi viren
Gran piadad ende avian,
E mui mas polo menino,
A que todos ben querian.
E yan con ela gentes
Chorando muito changian,
Ben como se fosse morto,
Ca a tal door avia.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
Ca dormir nunca podiæ,
Nen comia, nen migalla,

E vermes del sayan
Muitos e grandes: sin falla
Ca à morte ia venera
Sa vida sen batalla.
Mais chegaron log a Onna,
E teveron sa vigía.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
Ant o altar mayor locò,
E pois ant' o de Reyna
Virgen santa groriosa, [ac positus ante altare]
Rogandolle que agyna
En tan grand' enfermedade
Posesse la meezina,
Se servizo do Menino
En algun tempo queria.
Ben per esta à os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.
    A Virgen Santa Maria
Logo con sa piedade
Accorreu a o menino,
E de sa enfermedade
Lle deu saüde compida:
E de dormir u vontade.
E de pois que foi esperto,
Logo de comer pedia:
Ben per esta à os Reyes &c.
    E ante de quinze dias
Fue effor çad' e guarido [statim cœpit convalescere.]
Tan ben que nunca mar fora:
De mais deulle bon sentido.
E quando el Rey Don Alonso
Ouv' est miragr' oido,
Logo se foi en camynno
A Onna en romaria.
Ben per esta a os Reyes
D'amar en Santa Maria &c.

Postea redivit in Castellam, & morabatur aliquando Burgis, [cum matre ac fratre manens, graviter ægrotavit;] ubi faciebat Hospitale ipse; & uxor ejus ædificabat monasterium Holcarum. Quando autem sic vivebat, multum capiebat voluptatis ex suis filiis (Ferdinando scilicet & Henrico) & nepotibus (ex filia Berengaria Ferdinando & Alfonso) Videtur decens esse Regibus ut amēt, S. Mariā &c.

Sed Deus, qui non patitur ut homo semper permaneat in eodem statu; voluit ut Don Fernandus ejus nepos tam gravi corriperetur infirmitate, ut vita ejus fuerit a Rege desperata. Tunc mater ejus facta est velut amens præ dolore. Videtur decens esse &c.

[& Oniam a matre delatus] Audiens autem de Onia referri, quod ibi erat magna virtus, dixit: Portare ipsum illuc volo, ita me Deus adjuvet, quia bene credo quod Virgo Deipara dabit ei vitam & salutem. Cumque hoc dixisset, expedivit se a suo patre. Videtur decens esse Regibus &c.

Quotquot eam sic euntem videbant, magna commiseratione tangebātur maxime propter puerum, cui omnes bene volebant. Ibat autem cum illa turba plurima, quae plorans plangebat eum, velut si jam esset mortuus: tantos enim patiebatur cruciatus. Videtur &c.

Etenim numquam dormire poterat, nec comedebat, nec bibebat: multique ac magni vermes de ipso egrediebantur. Itaque procul dubio ad mortem venerat absque pugna. Sed rogarunt locum sibi concedi Oniæ, ibique vigilem noctem duxerunt. Videtur &c.

Ante majus altare collocarunt eum, deinde ante altare Sanctae Virginis gloriosae Reginæ; rogantes ut propitia adferret medicinam tam gravi infirmitati: siquidem a

puero aliquando volebat præstari sibi servitium quodcumque. Videtut decens esse &c.

Sancta Virgo Maria statim sua cum pietate accurrit ad puerum, & a sua infirmitate dedit ei plenam salutem. Venit ergo ei voluntas dormiendi: & postquam experrectus fuit, statim petiit sibi dari quod ederet. Videtur decens &c.

Ante quindecim vero dies fuit corroboratus & sanatus, tam bene ut numquam melius habuisse se sentiret. Cum autem Don Alfonsus Rex audivisset miraculum istud, statim se in viam dedit, & peregrinationem suscepit Oniam versus. Videtur decens &c.

## CAPUT II.
## Henrici pueri breve regnum in Castella, sub sorore Berongaria primum, tum sub Comite Alvaro.

[13] Eo igitur jam sepulto, filius ejus Henricus, parvulus & heres, [Alfonsi Regis duodennis filius Henricus,] a Pontificibus & Magnatibus, universo Clero Te Deum laudamus cantante, ad regni fastigium elevatur. Undecim annorum erat cum regnare cœpisset; & duobus annis & decem mensibus regnavit. Verum post mortem Regis nobilis, viginti quinque diebus transactis, Alienor uxor ejus fuit rebus humanis exempta. Hæc erat Henrici Regis Angliæ filia, pudica, nobilis, & discreta; & sepulta est in prædicto monasterio juxta virum; & custodia pueri Regis & regni gubernatio remansit penes Berengariam Reginam, sororem ejus. Cujus diligentia sic apparuit, toto tempore sui Regiminis, ut pauperes, divites, ecclesiastici, seculares, sicut tempore Regis nobilis fuerant, in suis statibus servarentur; [sub tutela sororis Berengariæ] licet Baronum varietas, zelo invidiæ circumacta, dissidia procuraret. Cum vero essent tres Comites, Ferdinandus, Alvarus, Gundisalvus, filii Comitis Nunii, cœperunt ad

custodiam Regis pueri inhiare; ut concepta odia possent in his quos oderant vindicare, sicut pater eorum fecerat, tempore pueritiæ patris ejus. Aliqui etiam, quibus Regina Berengaria se credebat, eorum studiis consenserunt, [traditur ab eadem Comiti Alvaro.] mediante quodam Milite Palentino, qui Garcias Laurentii dicebatur, & de mandato Reginæ erat custodiæ Regis pueri deputatus. Hic, promissa sibi a Comite Alvaro in hereditatem villa, quæ dicitur Tabulata, Regi suasit, ut ad Comitis Alvari custodiam se transferret. Quod cum solers Regina Berengaria percepisset, animo gratanti concessit: sed timens insolentias quæ venerunt, fecit jurare Comitem Alvarum & Magnates, ut sine ipsius Reginæ consilio, nec aliquibus terram auferrent, [Accepta ejus & procerum fide:] nec aliquibus terram darent; nec vicinis Regibus guerram moverent, nec mulctam imponerent in aliqua regni parte: & juramenta & hominium in manu Roderici Toletani Pontificis firmaverunt; ut, si contrarium facerent, proditionis infamia tenerentur. Sed quia Regina, propter importunitatem Militum & Majorum, tædio erat affecta, timebat ne regnum in sui custodia turbaretur, & ideo Comiti Alvaro dedit puerum conditionibus supradictis. Qui cum Gondisalvo Roderici & fratribus suis, tunc sibi faventibus, incontinenti Burgis egrediens, cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi divites exhaurire, Religiones & Ecclesias ancillare, [ille vero ecclesias & nobiles vexans,] & decimarum tertias, quæ ad ecclesiarum fabricas pertinebant, cœpit similiter infiscare (Sed excommunicatus a Roderico Toletano Decano, qui vices Archiepiscopi tunc gerebat, coactus fuit restituere, & jurare ne de cetero attentaret) & ecclesiarum homines, qui privilegiorum regalium immunitate gaudebant, cœpit exactionibus subjugare.

[14] Verum cum apud Vallem-Oleti Curiam celebrassent Magnates alii, Lupus Didacus de Pharo, Gonsalvus Roderici & fratres, [ideoque in Comitiis accusatus,]

Rodericus Roderici & Alvarus Didaci de Camberis, Alfonsus Telli de Menesis, & alii Nobiles, Regni exterminio condolentes curaverunt tantis cladibus obviare: & Reginæ Berengariæ prudentiam adeuntes, humiliter supplicarunt, ut regni miseriis condoleret. Comes autem Alvarus cœpit Reginam nobilem infestare, adeo ut ea, quæ sibi pater suus dederat, occuparet; & ei etiam ore temerario demandavit, ne in regni finibus remaneret. [contra Reginam insurgit;] Tunc Regina nobilis, cum sorore sua Alienor, quæ fuit postea Regina Aragonum, & erat tunc temporis domicella, in castrum Gonsalvi Roderici, quod Aptellum dicitur, se recepit, ibique deguit usque ad mortem fratris. Sed prædicti Magnates, tamquam naturali Dominæ fideliter adhærentes, Regi parvo fidelitatis debitum in omnibus servaverunt. Ceterum prædictæ Reginæ solers industria, omnia sic provide ordinavit, cum Magnatibus illis, ut & Comitis Alvari insolentias refrænaret, & jura sua Regi parvo conservaret. [Regem impuberem uxori jungit,] Verum cum Rex tenellus intentionem Comitis sagaci indole jam sentiret, libenter volebat ad sororis custodiam se transferre. Sed Comes Alvarus per suos complices ita cavit, quod Rex puer quod volebat non potuit effectui mancipare. Nam Comes callide cogitavit uxorem ex Portugallia sibi dare, qua mediante posset puerum in suo beneplacito retinere. Sed in contrarium res evenit: nam cum Mafaldam filiam Regis Portugalliæ adduxisset, & puer non esset in ætate nubili, remansit Domina conjugali commercio defraudata; & quia se consanguinitatis linea attingebant, de mandato Innocentii Papæ fuit contubernium separatum: & post, ut fertur, inter se & Dominam voluit Comes Alvarus connubium procurare: sed ipsa, cum esset pudica, verbum respuit indignanter.

[15] Post Curiam Vallis-oleti Comes Alvarus cum suis complicibus, & cum Rege Extrema-Dorii peragravit, Majorum animos sibi concilians, ut eorum favore posset

aliis imperare, & habentium divitias exhaurire; [magnam colligit factionem.] & inde se transtulit ultra Serram. Et cum venisset Maquedam, quæ est oppidum in diœcesi Toletana, Regina nobilis misit nuntium de fratris statu clanculo percunctari: erat enim solicita, eo quod a Comite Alvaro negligentius servabatur. Et cum Comes Alvarus de nuntio comperisset, fecit scribi litteras imposturæ, & falso sigillo Reginæ nobilis intercludi; in quibus continebatur, quod Regina nobilis scribebat aliquibus, de consilio Magnatum de Campis, ut cum toxico sibi misso fratri suo exitiale poculum propinarent, ut sic puerum ad sororis odium gravius provocarent: & hominem continuo suspenderunt. Sed cum labia malignorum sibi velut ebria mentiantur, [conatus Regem alienare a Sorore,] qui Susannam a falso testimonio liberavit, Reginam nobilem & innocentem ab imposturæ mendacio liberam declaravit: & ut in suis mendaciis caperentur iniqui, communis & fidelis assertio omnium sine dubio affirmabat Reginæ nobilis veritatem; detestans maledictis & convitiis quod iniquitas adinvenit. Et licet effronti superbia Comes Alvarus niteretur, tanta tamen efferbuit subsannatio populi contra eum, [refutatur a populo.] ut cogeretur recedere a partibus diœcesis Toletanæ: & Optam veniens ibi aliquamdiu fecit moram. Advenit autem Miles nobilis Rodericus Gondesalvi de Valle-viridi, qui beneplacitum Regis pueri jam habebat, ut ad sororem suam inscio Comite Alvaro se transferret. Sed cum Ferdinandus Nunionis, Comitis Alvari fautor & nepos, comperisset; ex improviso assumptis militibus supervenit, & captum duxit ad Alarconem.

[16] Tunc Comes Alvarus, ut in regno excidia excitaret, fautoribus Reginæ nobilis movit guerram; & assumptis quos habere potuit, [Regis transitum ad sororem impedit:] cum Rege ad Vallem-oleti in sequenti Quadragesima pervenerunt; & Paschate Resurrectionis Dominicæ celebrato, cum Militibus Castellanis & de Extremis-Dorii i,

Vallem triticariam vastaverunt, & domos Magnatum qui Reginæ favebant hostiliter dissiparunt. Deinde in castro quod Mons-alacer dicitur, Suerium Tellii obsederunt. Sed cum Gonsalvus Rodericii & fratres ejus & Alfonsus Tellii pluribus militibus præminerent, Regis præsentiam reverentes, noluerunt obsesso fieri in succursum: sed ipse Suerius Tellii Regi petenti protinus castrum dedit. Exinde Comes cum Rege procedens in Campos plurima devastavit, & apud Carrionem per dies aliquot fecit moram. Deinde ad Villam-albam de Alcor contra Alfonsum Tellii properavit: [arma contra ipsam movet:] & quidam milites ex agmine præcurrentes, extra munitionem Alfonsum Tellii repererunt: & captis equis & armis ipsum etiam vulnerarunt, & vulneratus in municipio se recepit: ubi per aliquot dies obsessus, viriliter se defendit. Ab obsidione vero Comes recedens Palentiam festinavit. Regina autem & sui Nobiles in Aptello & castro Cisinario morabantur, & nesciebant quid agerent: [qua mortuo puero Rege, filium accersit.] eo quod in exercitum Rege præsente non poterant insilire, nec illatas injurias sustinere. Unde communiter decreverunt Regi restituere terram suam, & de cælo auxilium expectare. Cum igitur terra, ut dictum est, variis incursionibus vastaretur, & Comes cum parvo Rege Palentiam advenisset; contigit eum in domo Episcopi hospitari, & res ecclesiæ ut hostem consumere & devastare. Quadam autem die, cum Rex puer instaret ludicris cum coætaneis Domicellis, minus provide custoditus; Domicellus quidam, e turri casu tegulam projiciens, Regem in capite vulneravit: ex quo ictu post dies paucos fuit mors lugubris subsecuta. Sed antequam rumorem loquacitas divulgasset, Regina sapiens misit Lupum Didaci & Gondisalvum Roderici Magnates pro filio suo Ferdinando, qui apud Taurum cum patre tunc temporis morabatur. Qui euntes rumorem de morte Regis pueri * sumpserunt, & Regi Legionis causam aliam suadentes; cum Infante Ferdinando ad Reginam Berengariam redierunt.

# ANNOTATA.

Iuxta Chronicam (unde deinceps vulgaria nomina apponemus) Talada quod est in Cerracco: sed forte legendum Tablada; quo nomine etiam planities infra Hispalim nominabitur num. 88: in confiniis autem veteris Castellæ ac novæ reperio notatos Montes Tabladæ, unde colligo fuisse ibi hujus nominis oppidum.

In notis ad Historiam Roderici Toletani, editionis Francofuriensis pag. 161. proferuntur charta duæ, Henrici scilicet Regis pueri & tutoris Alvari, apud Soriam 15 Febr. Æra 1254. nobis 1216 quibus uterque, Comes vero etiam sub juramento & multo prolixius, abdicat tertias Ecclesiarum.

Vulgariter de Haro, quomodo Hurtado pro Furtado, Herrera pro Ferrera, Hernando pro Fernando, aliaque infinita paulatim invaluerunt, mutato F in H, tam in verbis quam in, nominibus adjectivis substantivisque.

Vitam hujus Mafaldæ, ut Sanctæ, dedimus in Appendice primi Tomi ad diem 1 Maji, ubi Virginis titulum ei vindicavimus: sed quod ibidem num. 5 diximus de ejus consanguinitate cum Henrico, tum correctum hic in Schemate Genealogico fuit, [consanguinitas Mafaldæ & Henrici R.] tum iterum ex professo mutatum invenietur in Appendice ad diem 2 post hunc ultimum Tomum Maji. Vixit autem postea Mafalda (tanto senior ut sponsi mater forsan esse potuisset) Arocæ in Lusitania, in fundato a se Virginum Cisterciensium monasterio, ibique colitur, defuncta anno 1252. Lauretus nihil de Mafalda scivisse videtur: solumque ait, Alvarum sategisse, ut Henrico jungeretur Sancia, Legionensis Alphonsi ex priori conjugio filia; cujus rei nullus meminit antiquorum. Fuisset sane ejusmodi consilium opportunum Comiti ad subvertendam Berengariam, [An huic destinata Sancia Legionensis.] &

ejus filium Ferdinandum ipsius etiam Legionensis regni succeßione privandum, si is in favorem matris moliretur aliquid patre invito: sed istud si facile poterat cogitare Alvarus; tanto facilius poterat Berengaria impedire, quanto propiori consanguinitate Henricum Sancia quam Mafalda attingebat: erat autem etiam illa annis minimum tredecim senior Henrico.

Campos Gothicos intellige, a Salamantica usque Placentiam extensos, in quibus dotalia sua castra habebat Berengaria: qui autem istic sua etiam bona tenebant, illique ut Dominæ adhærebant, eos censet in Observationibus Mss. Christophorus Baniez fuisse, Lupum Diaz de Haro, Gonzalvum & Rodericum Rodericios ex familia Gironum, Alvarum Diaz de Camberis, & Alfonsum Tellii de Meneses; omnes nominatos aut nominandos in hac Chronica,

## CAPUT III.
## Regnum Henrico mortuo, a matre Berengaria proxima herede Ferdinando filio traditur, frustra obnitentibus Comite Alvaro, & Alfonso Legionensi Sancti patre.

[17] Fieri potest ut circa hanc successionem lectori nascatur dubium, [Mater Ferdinandi Berengaria,] quod expedit prius breviter absolvi, quam porro progrediar. Dubium autem tale est. Quandoquidem D. Berengaria de jure erat heres Castellæ, mortuo fratre Henrico, quare opus habuit secreto accersere filium Ferdinandum, elevandum ad Regnum; maxime cum haberet maritum viventem, Alfonsum scilicet Regem Legionensem; ipsa autem succedente in regnum Castellæ, simul cum ea videbatur succedere maritus ejus. Præterea non absque ratione interrogabit aliquis, quare D. Berengaria manebat

in Castella, & non potius apud maritum Regem? Ratio utriusque rei hæc est, quod matrimonium inter D. Berengariam & Regem Legionensem Alfonsum coaluerit causa pacis & concordiæ conciliandæ: gravia enim extiterant bella inter patrem Berengariæ & Regem Legionis; & Magnates Castellæ, præcidere volentes cursum damnorum ex ejusmodi bellis provenientium, [post susceptos ex Alfonso Rege Legion. liberos ab eo separata,] ac Reges inter se conciliare, utrumque crediderunt per ejusmodi nuptias obtineri posse, non considerantes quam arcta consanguinitate jungerentur inter se Berengaria & Alfonsus, ex quibus prognatus est D Ferdinandus, præsentis historæ argumentum. Pontifex autem conjugium istud irritum esse declarans, sejunxit eos: ideoque Rex Alfonsus aliam uxorem duxit; Regina autem Berengaria redivit in Castellam, atque post mortem patris mansit apud Regem fratrem suum D. Henricum, paterni Regni heredem. Hoc prænotato ad historiam regredior.

[18] Mortuo ergo, sicut dictum est, Rege Henrico, D. Berengaria cum aliqua cautela accersivit filium suum Ferdinandum: [astu recipit filium ex ejus potestate,] mittens ad eum finem Equites duos, Lupum Diaz & Gonsalvum Ruyz, in quibus multam habebat fiduciam. Hi profecti cum ad Regem Alfonsum venissent, nullam mentionem facientes de morte Regis Henrici, sicuti præscriptum eis erat; alia omnia & quæ ipsi grata fore sciebant locuti cum Alfonso, tandem, opportunam horam nacti & facilem Regis animum, supplicarunt ei, ut daret licentiam infanti D. Ferdinando eundi secum ad visendam D. Berengariam matrem suam, quæ magno illius desiderio tenebatur; promittebant autem, quod, post mutuum filii matrisque congressum, reducturi eum salvum essent. Adeo autem gratam habuit Rex Alfonsus supplicationem duorum istorum Equitum, ut petitam licentiam facilis concesserit. Alacres ergo cum Infante

regressi Aptillum, eumdem adduxerunt ad Reginam matrem. [& Alvaro parere recusanti opponit:] Interim autem Comes Alvarus tulit Regem a Palentia, ut in castrum quod Tarecum dicitur celaretur: sed quia res non potuit occultari, soror ejus Regina, funestis rumoribus concitata, Palentiam cum Magnatibus properavit: ubi a Venerabili Tellio Episcopo civitatis cum processione solenniter sunt recepti, & inde ad. castrum, quod Doniæ dicitur, procedentes, continuo vi ceperunt. Tunc Magnates cum Comite Alvaro de concordia tractaverunt, sed nihil voluit Comes Alvarus acceptare, nisi Infans Ferdinandus, Rex futurus, suæ custodiæ, ut avunculus, traderetur. Cui pactioni Regina nobilis & Magnates, verentes præterita, nullatenus consenserunt; & procedentes ad Vallem-oleti venerunt; [cum eoque Vallis oletum accedit:] & consilio habito ad Extrema-Dorii processerunt: & cum venisset ad villam quæ Cauca dicitur, habitatores villæ eos recipere noluerunt, sed ad aldeam quamdam quæ S. Justus dicitur secesserunt, & ibidem nuntios receperunt, ne Secobiam vel Abulam, vel ad aliquam Extremorum-Dorii accederent civitatem.

[19] [ubi in Comitiis Regina declarata,] Nuntiatum est etiam quod Sancius Ferdinandi, frater Regis Legionensis, contra Reginam & filium ejus magna cum multitudine adveniret: unde & Regina nobilis & filius suus, cum his qui aderant, ad Vallem-oleti protinus redierunt. Cum autem audisset Regina potiores Extremorum-Dorii & de ultra terram Secobiæ convenire, misit nuntios, qui eis fidelitatis debitum suaderent. Cumque viri Extremorum-Dorii hoc audissent, venire ad Reginam nobilem continuo consenserunt. Et cum ad Vallem-oleti communiter convenissent, ibidem tam Extremorum-Dorii Potiores, qui pro omnibus venerant, quam etiam Magnates & Milites Castellani, communi consensu regnum Castellæ, fidelitate debita, Reginæ nobili obtulerunt. Ipsi enim decentibus filiis, cum esset inter filias primogenita, regni

successio debebatur: & hoc ipsum patris privilegio e probabatur, quod in armario Burgensis Ecclesiæ servabatur. Et etiam totum Regnum, [Regnum tradit filio,] antequam Rex haberet filium, bis juramento & hominio hoc firmarat. Ipsa autem, intra fines pudicitiæ & modestiæ supra omnes mundi Dominas se coarctans, regnum sibi noluit retinere; sed extra portam Vallis-oleti educta multitudine Extremorum-Dorii & Castellæ, ubi forum agitur, convenerunt: eo quod tantam multitudinem domorum angustia non ferebat. Et ibidem filio regnum tradens, Infans Ferdinandus, de quo diximus, omnibus approbantibus ad ecclesiam S. Mariæ ducitur, & ibidem ad regni solium sublimatur, anno ætatis suæ decimo octavo, Clero & Populo decantantibus, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Et ibidem ei omnes fecerunt hominium, & fidelitatem Regi debitam juraverunt. Et sic honore regio ad regale palatium est reductus.

[20] Cum autem audisset Regina nobilis, Alfonsum Regem Legionensem ad villam quæ Ayroum dicitur advenisse; modestiæ suæ insistens pudori, [frustra obnitente Alfonso Legionensi.] per Mauritium Burgensem & Dominicum Abulensem Episcopum humiliter supplicavit, ut se ab inquietatione filii temperaret. Sed ipse Rex elatus superbia, quam cordi ejus Comes Alvarus instillarat, supplicationi & precibus contradixit, eo quod imperio inhiabat. Imo transivit Pisoricam & venit Lacunam; ubi cum diebus aliquot permansisset, direxit faciem contra Burgos: & cum loca plurima & domos Militum devastasset, & alias incendio concremasset, ad villam quæ Arcus dicitur supervenit, sperans civitatem Burgensem se capturum. Sed cum audisset in eadem urbe Lupum Didaci & multos Milites congregatos, frustratus spe vacua & inani, contra consiliarios indignatus, in terram suam propere remeavit.

Regina autem in Regem filio sublimato, dum hæc fierent, Palentiæ morabatur: & ibi venerunt ad eam ex Secobia & Abula & aliis oppidis Extremorum-Dorii Milites copiosi, [Recipit & sepelit corpus Henrici Regis:] Conciliorum suorum servitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles Pontifices, Tellium Palentinum & Mauritium Burgensem misit Tarecum, ut Henrici Regis corpus reciperent, cum suis parentibus tumulandum; præsertim cum & hoc ipsum Comes Alvarus jam mandasset. Et præfati Pontifices recepto corpore Palentiam redierunt: & inde Rex novus, cum matre sua Regina nobili, ad castrum quod Munio dicitur advenerunt. Et dum Rex oppidum impugnaret, Regina nobilis fratrem Henricum Regem in sarcophago nobiliter præparato detulit ad monasterium prope Burgos, & ibidem juxta fratrem suum, Ferdinandum Infantem, cum planctu magno exequiis celebratis, regaliter sepelivit.

[21] Inde vero Regina, veniens Munionem, invenit castrum a Rege Ferdinando & suis fidelibus occupatum, [& oppida quædam Alvaro eripit,] Militibus qui inerant captivatis. Post hæc ad Lermam & Laram, quas Comes Alvarus detinebat, cum Burgensi Concilio procedentes, invasas fortiter occuparunt, & rebellantes Milites vi ceperunt. Inde ad urbem Burgensem redeuntes, a Pontifice Clero & Populo honorifice & processionaliter sunt recepti, gaudentibus omnibus, quod liberati ab hostibus in Dominæ naturalis dominio remanserunt *. Verum quia, [gaza sua ad belli sumptus distracta.] perturbatione hujusmodi obsistente, Regales reditus ad stipendia defecerunt, & Regina nobilis quidquid habuerat in largitionibus dispensarat, ad argenti & auri & gemmarum donaria misit manum: & quæque ex talibus reservarat, in auxilium filii liberaliter erogavit: & de consilio Magnatum qui secum aderant, ad partes Belli-foraminis, Anagari, & Nagaræ processerunt: & receptis villis, quas sibi incolæ gratissime reddiderunt, Burgis iterum sunt reversi:

Munitiones enim quas Comes Gonsalus Nunii detinebat, non potuerunt propter sui fortitudinem expugnare.

## ANNOTATA.

Initium hujus Capitis, usque ad num. 14, accipientes ex Chronica, interponimus textui Roderici.

Vidimus post Stemma Genealogicum consanguinitatem fuisse in tertio gradu, eaque de causa Regnum interdicto suppositum. Non tamen sic potuit persuaderi Alfonso, ut ductam tanta ex causa uxorem statim discedere pateretur; sed prius ex ea ternam prolem sustulit, Ferdinandum scilicet atque Alfonsum, & filiam Berengariam, Joanni Briennio Imperatori Constantinopolitano nuptam anno 1231.

Nihil de alia uxore alibi legimus: Scriptor autem Legendæ manifeste hallucinatus est, cum credidit, Tarasiam superinductam Berengariæ fuisse. [Tarasia Lusit. uxor 1, non 2 A Legionensis.] Quod si ex eodem errore hic quoque processum est, non possunt ea esse a primo Auctore, sed adscribenda editori forent; & sic fundaretur suspicio, quod non omnino ab interpolationibus pura hæc Chronica sit. Malim ergo opinari, Regem Legionensem, jam fultum gemina mascula prole, eaque ad succeßionem ex Regni totius consensu legitimata, non curasse de uxore alia nuptiis magis canonicis ducenda, ne ea occasio turbarum foret; sed aliquot inferioris generis concubinis contentum vixisse, ex eisque nonnullos adhuc liberos suscepisse. Certe moriens Ferdinandus, præter fratrem Principem (quem filio successori commendavit nominatim) invenitur num. 144 in genere meminisse aliorum adhuc fratrum, & plures extra matrimonium genitos numerat Catalogus Genealogicus Roderici Mendez de Silva; de quibus infra,
End Noted Lectio, in margine editionis Francofurtensis notata, Caucam scribi dicit, pro Coca. Est autem hæc,

juxta tabulas, inter Vallisoletum & Segobiam, huic vicina ad 5 milliaria. Nescio quo errore hic locus in Chronica sic legatur redditus: Ex castro Dominarum iter intendebant Vallisoletum, quando venientibus Cabezonem clausæ sunt portæ, pernoctarunt igitur in vico quodam S. Justi nuncupato; ubi pro Cauca, ponitur Cabezo, inter Vallisoletum & Placentiam.

Nihil hoc obest, quo minus verum sit (si tamen est verum) quod rebelles Proceres scripserunt in Franciam de ultima voluntate Alfonsi, in favorem liberorum Blancæ declarata, ut supra ostendimus.

[Quo anno A. Legionensi nupta Berengaria.] Existimat Zuniga, ex pluribus instrumentis constare, quod matrimonium Berengariæ cum Alfonso Legionensi contractum fuerit anno 1197; allegat autem diploma ab utroque conjuge in favorem Martini Episcopi Zamorensis datum, XVI Kalend. Jan. Æra 1236: Sed Auctori, alias accurato, obrepsit ut annum 1197 scriberet pro 1198, cum jam dicta Æra concurrenti. Satis nobis est, [Col. 0314E] si natus sit Sanctus in autumno vel etiam sub finem anni ejusdem 1198, ut nunc egerit annum 18 ætatis suæ. Catalogus Genealogicus supracitatus eamdem nativitatem adscribit anno 1201: qui manifestus error est.
End Noteg Alias Arroyum, quod etiam habet vulgata versio; ubi & sequentia loca, Pisuerga & Laguna. Cum autem Pisuerga etiam rivulus sit, Legionense & Castellanum regna disterminans, & prope Simancam Durio influens; apparet quod in eodem tractu requirenda sint prædicta duo oppida, alias non reperienda in tabulis.
End Noteh

Lauretus asserit, Alfonsum, prius quam ad vim deveniret, astu usum, ac Berengariam solicitasse ad repetendum contubernium suum, [An post divortium solicitata ad redium Berengaria?] pollicendo dispensationem Roma

haud ægre impetrandam: sed ipsam ait amore filii Ferdinandi certa præsentia incertis futuris prætulisse. Vellem scire unde id hauserit: interim propositam dispensationis spem, quæ secundum hodiernos mores maxime rationabilis videri posset, video tunc parum verisimilem fuisse: & ut fuisset, prudentior erat Berengaria, quam ut, satis superque negotii habens in excutiendo a filii cervicibus Alvaro, nulla dum juris specie subnixo; superinduci sibi pateretur Regem, jure maritali atque tutorio omnia ad se tracturum, sub quo quidquid porro contra Reginam ac filium ageret Alvarus, jure agere videretur. Ceterum quidquid sit de solicitatione a Laureto asserta, patet vel ex ipsa Chronica verum esse, quod idem ait, noluisse Berengariam, ut contra patrem arma filius sumeret in campumque prodiret, sed mere defensive se haberet. Postea nihilominus prodeundum etiam in campum fuit, instigante Legionensem Alvaro seque ducem præbente, uti infra num. 24 dicitur. Et tunc quidem drempta pugna, treugaque inita est, eaque ex parte Sancti tam sincera, ut patri adversus rebelles quosdam auxilio fuerit: quo beneficio obstrictus pater, cum amare filium debuisset, tertio tamen ipsum adversus eumdem adarma profiliisse, patet ex Epistola quadam Sancti, cujus epistolæ ex Castellano (ut apud Lauretum exiat lib. 2 pag. 97 hic tenor est:

Domine pater, Rex Legionis, Don Alfonse, [Epistola Sancti, bellum a patre deprecantis,] Domine mi. Quæ istæc est iracundia tua? Cur mihi damnum & bellum infers, nihil tale de te merito? Facile intelligitur displicere tibi bonum meum, in quo multum tibi deberes complacere, habiturus filium Regem Castellæ, qui tibi semper erit honori. Nullus enim Rex aut Christianus aut Maurus, qui me timeat, nocere tibi audebit. Unde ergo tibi indignatio tanta? Sane ex Castella quamdiu vixeris numquam vel damnum vel bellum nascetur in diebus meis: e contrario, qui antea tibi inferebant molestiam, nunc te reverentur & metuunt.

Quapropter propter scire debes, quod ipse tibi noceas. Posses autem si velles intelligere, quod valeam magis quam Rex alius in mundo impedire te crudeliterque vexare: sed nihil ejusmodi fas mihi in te, quia pater meus es & dominus meus; neque id bene fieret. Convenit ergo mihi ut potius te patiar, usque dum ipsemet recognoscas quid agas. Apparet hæc scripta esse postquam patri auxiliatus Sanctus fuerat contra rebelles, ut ait Tudensis; quin immo, postquam is expeditionibus Mauricis clarescere & formidabilis esse cœperat; ac verosimiliter circa ultimos Alfonsi annos: quos tamen quia præcise definire non potui, omnia hic simul posui sub unum conspectum.

Concilium; etiam in vulgata versione sæpe recurrens Concejo, ita significat Senatum seu Magistratum alicujus civitatis vel oppidi, ut hic & alibi sæpe etiam sumatur pro numero delectorum Militum, ab ejusmodi Senatu submissum Regi, ad expeditionem quampiam, absque obligatione ulterioris obsequii, redituram ad propria illa peracta: & sic Rodericus lib. 8 cap. 9 ejusmodi subsidiarios appellat Communia civitatum.

## CAPUT IV.
## Victoria de Alvaro rebelli relata; ejusque ac fratris infelix exitus.

[22] Dum Rex & Regina nobilis essent Burgis, Comes Alvarus, cum fratribus & complicibus, per Aggerem-Alliorum a & Quintanam-Fortunii transierunt; & in Belli-foramine hostiliter irruentes, [Regi se opponens Alvarus,] nec ætati nec sexui pepercerunt, sed cuncta cæde & incendio consumpserunt: quod cessit novo Regi & Reginæ nobili in amaritudinem & dolorem. Et hac vastatione peracta, Comites ad propria redierunt: & Rex novus cum matre Regina nobili & suis Magnatibus a Burgis Palentiam cœpit ire. Et dum ad villam, quæ Palentiola b

dicitur, pervenissent; Comes Ferdinandus in ripella vallis Guiariæ aciebus dispositis subsistebat. Comes Alvarus cum suis militibus Ferrariolam se recepit. Et quarta feria d quatuor-Temporum mensis Septembris, cum Rex Ferdinandus & Regina nobilis ituri Palentiam juxta Ferrariolam pertransirent; [temereque ad explorandum egressus,] collateralem aciem cum Alfonso Tellii & Suerio Tellii separavit, ne agmen exercitus transeuntis a Militibus Comitis læderetur. Et cum Comes Alvarus extra villam cum aliquibus Militibus resedisset, in villam ceteris intromissis, ut posset exercitum contemplari, remansit cum paucis, in villam colligi dedignatus. Sed cum Alfonsus Tellii & Suerius Tellii & Alvarus Roderici, & quidam alii, eum eminus agnovissent, [vivus capitur:] contra eum equorum impetu processerunt: & videns multitudinem præminere, jam exanimis, quamvis superbus, recolligere sese cœpit. Sed cum prædicti Milites advenissent, Comes Alvarus de equo descendit, & jacens in terra clypeo se obtexit. Sed illi manibus eum trahentes, captum cum duobus Militibus concaptivis Regi & nobili Reginæ præsentarunt: & qui multos offenderat, qui nulli pepercerat, qui naturali Dominæ ejus dominium abnegarat, divino judicio nunc prostratus, suorum Militum & Fratrum intuentium auxilio destitutus, capitur inglorius & confusus. Tunc Regina nobilis, gaudio & lacrymis Deum laudans, diu gratiarum institit actioni, quod inimicum suum & regni & filii sibi tradidit tam facili captione.

[23] Videntes igitur cuncti qui aderant, quod Deus omnipotens Reginæ nobilis opera dirigebat, cum gaudio & actionibus gratiarum, Palentiam intraverunt, & inde ad Vallem-oleti iverunt: ubi fuit Comes Alvarus in captione & vinculis custoditus. Cumque ibidem de compositione aliquamdiu tractaretur, ea conditione fuit pactio acceptata, [cumque se redemisset usurpatis cedendo,] ut Comes Alvarus restitueret castra omnia quæ tenebat, scilicet Cannetum & Alarconem, Amagam & Tarecum-

Cæsareum & Villam-francam, Turrim Belli-foraminis, Anagarum & Pandicurgum e: & his deditis solveretur. Castrum Xeriz & Orzegonem detinebat Comes Ferdinandus frater ejus, & ad eorum captionem tenebatur Comes Alvarus cum centum Militibus Regem sequi, donec ea suæ potentiæ subjugaret. Comes autem Alvarus Gundisalvo Roderici fuit commissus, donec compleret superius prænotata. Rex autem duxit exercitum versus Castrum: & licet Comes Ferdinandus, fultus copia victualium & multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione restituit Castrum & Orsegonem, ut ejus vasallus fieret, & ab eo ut vasallus proprius castra teneret. His peractis, Domino disponente, quievit perturbatio novi Regis: & sex mensium spatio fuit seditio sic sedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Ferdinandus susceptus ab omnibus cœpit ubique jurisdictionem Regiam exercere.

[24] Post hæc autem Comites, videntes in regno potentiæ suæ gloriam minoratam, imo potius annullatam, [ac Legionem fugisset,] in Valle-Juniperi territorii Palentini, cœperunt iterum rebellare, & prædas in Campis Gotthicis exercere: sed Rex Ferdinandus, cum Regina nobili matre sua & aliqua parte Magnatum, venit ad Aggerem-fumorum & Medinam de Rivo-sicco, & sic Comitum insolentiæ pro parte maxima cessaverunt. Sed videntes Comites in Valle-Juniperi non posse resistere, Regis Legionensis dominio se dederunt; & ut moveret guerram filio, suaserunt. Cumque utrimque exercitus convenissent, & quidam Nobiles ex Castella versus partes Salmanticæ intravissent, videntes Regem Legionis sibi cum suo exercitu occurrentem, in aldea Medinæ del Campo, quæ Castellio dicitur; intraverunt. [bellumque resuscitasset, moritur;] Cumque Rex Legionensis eos inibi obsedisset, & Comes Alvarus cœpisset caligis ferreis calceari, percussus a Domino cœpit gravissime infirmari: & firmata treuga inter patrem & filium ab invicem discesserunt.

Comes autem Alvarus, morbi & treugœ dolore vexatus, Taurum semianimis est delatus: ubi mortis anxietate coactus, Militiæ S. Jacobi sese dedit, & ibidem vitam finivit, & Uclesii est sepultus. Et post modicum temporis Comes Ferdinandus frater ejus, [uti & frater ejus Marocci,] cujus non ut voluit in regno Castellæ desideria provenerunt, in Africam transfretavit, & ab Amira Momenino susceptis muneribus varia jactitavit. Et dum ibi longa mora, ut moris est Arabum, traheretur, eum contigit infirmari: & fecit ad vicum prope Marochos, qui Elbora dicitur, se transferri: vicus enim a Christianis dumtaxat incolis colebatur. Et dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere; a Gondisalvo Fratre Hospitalis, qui Innocentii Papae III familiaris extiterat, suscepit habitum Hospitalis; & universœ carnis viam ingressus, cum aliis qui ibidem obierunt ad domum Hospitalis, qui Pons-Fiterii dicitur, in diœcesi Palentinensi, in sarcophago est delatus: & ibidem ab uxore sua Comitissa Majore, & filiis suis Ferdinando & Alvaro, & multis aliis est sepultus.

## ANNOTATA.

Amiras Saracenis & Mauris Dux seu Rex dicitur: hic vero, contractis in unam duabus vocibus, paßim vocatur ab historicis Miramolinus: quod tamen non est proprium, sed appellativum nomen summi Saracenorum Principis, & Latine redditur Imperator fidelium. Vide Cangium in Glossario.

Chronica vocat Hospitalarios S. Ioannis Acconensis: ita scilicet tunc nuncupabantur, a loco habitationis primario; qui antea S. Ioannis Hierosolymitani appellabantur. Cum enim Hierosolyma amissa anno 1187, recepta esset anno 1191 Accon, huc immigrarant. Similiter iterum amissa Accone an. 1291, occupata autem a Christianis Rhodo, cœperunt dici Equites Rhodienses, donec hæc etiam Turcis ceßsit anno 1522: unde in Melitam recepti a Carolo

V anno 1530, Melitensium nomen hodie tenent, insulamque contra Turcas tuentur generose.

## CAPUT V.
## Ferdinandi matrimonium cum Beatrice Suevica, ex eaque liberi. Repreßi seditiosi. Cathedralis Toletanæ fundatio.

[25] Adversariis itaque sic a Domino judicatis, Rex Ferdinandus regnum obtinuit pacifice & quiete, Regina nobili omnia disponente: [Petita a Frederico In p. Beatrix,] quæ adeo solicite filium educavit, ut regnum & patriam, juxta morem avi sui nobilis Alfonsi, in pace & modestia gubernaret, usque ad vigesimum quintum a filii sui annum. Sed quia indecens erat, ut tam magnus Princeps extraordinariis petulantiis traheretur; mater sua, quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, procuravit ei uxorem nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filiæ Isac Constantinopolitani Imperatoris: quæ fuit optima, pulcra, sapiens, & pudica. Missique pro ea nuntii, Mauritius Burgensis Episcopus, vir laudabilis & discretus; Petrus Abbas S. Petri de Aslantia, Rodericus Abbas de Rivosicco, Petrus Odoarii Prior Hospitalis, ad Fredericum Romanorum Regem, sub cujus custodia erat tunc temporis Domicella, in Teutonia accesserunt; & ab ipso Rege honorabiliter sunt recepti. Cumque legationis causam, ut injunctum fuerat, explicassent; prædicti nuntii expectarunt. [impetrataque,] Tandem Rex Fredericus, in Imperatorem electus, consobrinam suam Beatricem, Domicellam nobilem, pulcram, compositam & prudentem, Regi Ferdinando per dictos nuntios, cum apparatu nobili, destinavit. Et cum Parisios advenissent, Rex Francorum, Philippus nomine, qui tunc Gallis præsidebat, eam

honeste recepit, per terram suam honorifice dans ducem; itaque ad regnum Castellæ felici itinere pervenerunt.

[26] Tum Regina nobilis Berengaria, cum comitatu nobili religiosorum & secularium Magnatum & Dominarum, [Ferdinando conjungitur] ultra burgum qui Victoria dicitur, occurrit nobili Domicellæ; & Burgis exinde venientes, invenerunt Regem Ferdinandum, cum Magnatibus & Nobilibus & civitatum Primoribus, expectantem. Qui Domicellam & Nuntios honore quo decuit receptavit, & tertia die ante festum S. Andreæ, in regali monasterio prope Burgis, celebrata Missa a venerabili Mauritio Burgensi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex suscepto gladio ab altari manu propria se accinxit cingulo militari: & mater sua, [festo S. Andreæ.] Regina nobilis, ensis cingulum deaccinxit. Tertia die, in festo scilicet S. Andreæ, Beatricem dulcissimam Domicellam duxit solenniter & legitime in uxorem, Missam venerabili Mauritio in Cathedrali ecclesia celebrante, & benedictionem nubentibus largiente: & fuit ibi Curia nobilissima celebrata, assistentibus totius regni Magnatibus, Dominabus, & fere omnibus regni Militibus & Primoribus civitatum.

[27] Post modicum vero temporis, propter injurias quas Rodericus Didaci de Camberis in terra sibi credita exercebat, [Rex compescit insolentiam Roderici de Camberis,] licet esset Cruce-signatus in subsidium Terræ-sanctæ; Rex Ferdinandus citavit eum, ut ad Curiam veniens satisfaceret de objectis. Cumque ille ad Vallem-oleti Curiam advenisset, cum naturaliter iræ inconstantia duceretur, a falsis amicis suasus, inviso & insalutato Rege recessit. Rex autem pro hujusmodi indignatus, abstulit ei terram suam. Et cum prædictus Rodericus Didaci nollet restituere munitiones, tandem restituit ex pacto, ut Rex daret ei quatuordecim millia aureorum. Et cum pecuniam suscepisset, tunc demum reddidit castra Regi. Anno

postea iterum revoluto, Gonsalus Petri, Dominus Molinæ, consilio Comitis Gondisalvi, cœpit contra Regem minus provide rebellare, & partem Reginæ, Molinæ vicinam, rapinis & vastationibus molestare. Cumque monitus nec desisteret nec satisfacere voluisset, Rex Ferdinandus super eum exercitum congregavit. Sed superveniente nobili Regina Berengaria matre sua, [item alium sibi rebellem:] cum Rex non posset castrum Zaphare expugnare, concordiam procuraverat, & certis pactionibus Rex soluto exercitu a Molina recessit. Et diebus aliquot interpositis Comes Gundisalvus Nunii, qui ad Arabes se transtulerat; cum a Rege Castellæ beneficia non posset assequi ut optabat, iterum se restituit Agarenis: & dum in partibus Cordubæ moraretur, in villa quæ Beatia dicitur infirmitate gravissima contigit ipsum mori: & delatus a suis sepultus est in i Cephinis, ubi habent oratorium Fratres Templi.

[28] Suscepit autem Rex Ferdinandus ex uxore sua gratissima Beatrice filios hic notatos, [octo liberos ex uxore suscipit:] Alfonsum primogenitum, Fredericum, Ferdinandum, Henricum, Philippum, qui oblatus a Domina Berengaria, Regina nobili, avia sua, Deo & Roderico Toletano Pontifici, per manus ejusdem Pontificis ad titulum Ecclesiæ Toletanæ in sortem Domini est vocatus: & in continenti idem Pontifex Præbendam & alia Beneficia in prædicta Ecclesia assignavit. Habuit alios filios, Sancium qui oblatus Roderico Toletano Pontifici, a quo cum Clericali tonsura Psalmistæ officium est adeptus, Præbendam & Beneficium in Toletana Ecclesia est consecutus; Emanuelem, & duas filias, Alienor, quæ decessit parvula; & Berengariam, quæ in Regali monasterio degit, Virgo Domino consecrata. Verum Regina nobilis Berengaria mater Regis, [precedit contra Mauros semel,] volens eum a Christianorum injuriis alienum, militiæ suæ primitias voluit Domino dedicare; & treugam cum Arabibus noluit ulterius protelari: sed

exercitu congregato, assistentibus sibi Roderico Toletano Pontifice & aliis Magnatibus regni sui, per Beatiam & Ubetam vastationes exercens, aggressus est Caseatam: & captis & interfectis multis millibus Saracenorum, quia castrum variis impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem, Caseata, ut diximus, occupata, per ripam Bœtis magni fluminis ad partes pervenit o Giennii: [iterum,] & destructis quibusdam munitionibus & urgente instantia hiemali ad propria est reversus. Post hæc autem iterum exercitum congregavit; & tradente eas sibi Avomahomat, qui erat Arabum Princeps nobilis, filius Avoabdellæ filii Abdelmurris, cepit Beatiam, Andugarum atque Martos; & castrum istud nobilissimum dedit Fratribus Calatravæ. Et destructis aliis castris & municipiis, [certio,] ad sua feliciter est reversus.

[29] Et tertio ingressus terram Arabum, cepit Sevioth, Xoparum & Gartiez, & bellatoribus obfirmavit; aliisque vastationibus peractis, ad urbem reversus est Toletanam. Eo tempore erat in Hispaniis Legatus Romanæ Ecclesiæ, Joannes de Abbatis-villa, quæ est in Comitatu Pontivi, Sabinensis Episcopus Cardinalis, vir bonus, sapiens, litteratus: [quarto.] qui celebratis in singulis regnis Conciliis, postquam monita salutis proposuit, ad Sedem Apostolicam est reversus, tribus annis legationis expletis. Post hæc iterum Rex Ferdinandus terram Arabum est ingressus, & cepit Eznatoraph, Turrim de Albet, S. Stephanum, & Chorlanam. Et alia vice duxit exercitum per Giennium circa festum S. Joannis, quod propter sui fortitudinem non potuit expugnari. Et inde procedens cepit x Pegum: & captis incolis & occisis, munitionem funditus desolavit. [& quinto.] Et veniens ad oppidum quod Alhama dicitur, captis habitatoribus & occisis, locum destructione simili dissipavit: post quod ad propria cum exercitu remeavit. In hac expeditione non interfuit Rodericus Pontifex Toletanus, qui Guadalphagare remanserat, febris acumine fatigatus, ubi finis periculum

vix evasit: sed misit cum exercitu Dominum Capellanum suum, virum venerabilem Episcopum Placentinensem: qui in exercitu loco ejus Pontificalia exerceret. [Novam Toleti Cathedralem ædificat.] Et procedens iterum contra Mauros obsedit Capellam, castrum munitissimum in diœcesi Toletana, & diutinis impugnationibus tandem cepit. Et expletis quatuordecim hebdomadibus expeditionis, ad urbem regiam est reversus. Et tunc jecerunt primum lapidem Rex & Archiepiscopus Rodericus in fundamento ecclesiæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ tempore Arabum adhuc stabat. Cujus fabrica opere mirabili de die in diem, non sine grandi admiratione hominum exaltatur*.

## ANNOTATA.

[Ætas Sancti, regnare incipientis.] Cum Toletanus dicat S. Ferdinandum creatum fuisse Regem anno ætatis suæ 18, idque factum sit anno Christi 1217; oportet ut annus 25 illius, sit 1223 Christi. Corrigendum autem hic fuit evidens mendum, textui Hispanico nescio quomodo inductum; dum numeratur annus 25 regni, & quidem velut ex auctoritate Toletani; hic enim annus esset Christi 1241 quousque dici nequit regnum gubernasse mater: quæ tamen rationabiliter credi potest, ea lege tradidisse filio suo Regnum, ut ipsa illud gubernaret, quousque is annum ætatis 25 attigisset, licet aliquot annis prius ei uxorem jungendam curaverit.

Philippus Dux Sueviæ, Alfonso a Cartagena dictus Dux Bavariæ, Frater Imperatoris Henrici, an. 1197 defuncti, electus an. 1198; cui oppositus discordi electione fuit Dux Saxoniæ Otho. Obiit Bambergæ, occisus anno 1208.

Isacius Angelus, ab anno 1185 Constantinopolitanus Imperator, & anno 1195 excæcatus depositusque a fratre Alexio; a Francis & Venetis, victo tyranno regia urbe

potitis, restitutus fuit. Hujus secunda filia Maria, alias Irene, nonnullis etiam Cæcilia nuncupata, primum Rogerio Tancredi Siciliæ Regis filio nupserat, hoc autem mortuo, & Sicilia ab Henrico Imperatore occupata anno 1195, ab eodem tradita est fratri Philippo, [Isaaci CP. Imp. filia, Sancti Socrus.] eodem quo hic anno mortua, & in Lorchensi ad Tubingam monasterio sepulta: uti accuratißime tradit, in suo de familiis Bysantinis eruditißimo opere, amicus noster Dominus du Cange pag. 294. Loco, Isac, in textum irrepserat, Corsac, sive (ut vulgaris interpres legit) Coysat: quod in gratiam lectoris correxi David Blondellus volumine 2 Tabula genealog. 144 Beatrici nostræ, quam unigenitam aliqui fuisse volunt, sorores addit (sed forsitan ex alio patre) Mariam Brabantiæ Ducissam, uxorem Henrici II, Cunigundim uxorem Wenceslai Regis Bohemiæ, & Elisam Ottoni IV Imperatori desponsam.

Fredericus II, Henrici Imp. filius, adeoque Beatricis patruelis, Rex Romanorum factus 1215, [Reginæ Beatricis genus paternum:] Imperator coronatus 1220 Romæ 22 Novembris. Sed quoniam ab eo tempore usque ad obitum Philippi Regis Franciæ (qui sponsam transeuntem excepit & mortuus est an. 1223) non facile est invenire menses quatuor continuos, quibus in Germania Imperator fuerit; recte is solum hic dicitur Electus, & intelligitur hoc matrimonium conclusum fuisse in celebribus illis comitiis Norimbergensibus, quorum ad annum 1219 meminerunt Annales Augustenses. Idem indubitabiliter confirmat Zuniga ad an. 1252 num. 9, allegans Privilegium Fitirensi monasterio datum die 12 Decembris, [annus celebrati cum ea conjugii.] signatumque sub hac formula, Anno regni mei tertio, anno videlicet quo ego præfatus Rex Ferdinandus, in monasterio S. Mariæ Regalis de Burgis, manu propria cingulo militari me accinxi; & Dominam Beatricem Reginam, Philippi quondam Regis Romanorum filiam, duxi solenniter in uxorem. Probat autem ex multis

instrumentis idem Zuniga, cœpisse Ferdinandum annos sui Regni numerare a 31 Augusti, an. 1217.

Victoria, oppidum in Cantabris, conditum an. 1180 trans Iberum, distat Burgis ad leucas circiter 20, sed cum ejus Conditor Sancius, Vasconiæ ac Navarræ Rex & Biscayæ pro magna parte Dominus, coactus fortunæ Alfonsi Castellani cedere, turpiter in Africam profugisset; capta an. 1200 Victoria ipsa est ejusque deditionem secutum est regnum fere universum, etiam trans montes. Quod [Col. 0318B] cum pace inita restitutum esset, manserunt tamen in potestate Castellani quatuordecim oppida juris controversi (ut Mariana lib. 11 cap. 25) in quibus erat ipsa Victoria, cum reliqua usque ad montes Biscaya.

Durandus lib. 2 cap. 3 docet in sacris Canonibus Psalmistam dici Clericum primi Ordinis, [Sancius Sancti filius Archiepisc. Toletanus.] id est, primæ Tonsuræ, eumdemque in Conciliis etiam Cantorem vocari: unde S. Isidorus. Ad Psalmistam pertinet officium canendi, dicere Benedictiones, Psalmos, Laudes, Responsoria. Sunt qui eumdem Sancium prius Canonicum, postea Archidiaconum Toletanum fuisse dicunt: mortuo autem D. Guiterio, aut (ut alii) D Dominico Pasquali, electum Archiepiscopum fuisse constat, per Scripturas, quibus usque ad an 1259 utitur titulo Electi & Procuratoris seu Administratoris; deinde, cum per ætatem licuit, ordinatus ab Archiepiscopo Hispalensi Raimundo, Archiepiscopum se absolute scripsit, quoad obiit an. 1261 vel 1266; bene distinguendus ab alto Sancio, filio Iacobi Aragonum Regis, qui eosdem titulos succeßive geßit, & obiit in prœlio contra Mauros an. 1275. In utroque autem corrigendus Tamayus ad 25 Octobris, ubi Archiepiscoporum Catalogum texuit, & Castellanum quidem ceßisse dignitate dixit, Aragonem vero obiisse, an. 1285.

Erravit ergo Auctor Chronicæ cum scripsit: quod Berengaria, [Berengaria hortatrix filio ad bellum Mauritium.] tenerius filium diligens, ab omnibus omnino armis abstinere eum voluit; eoque curavit treugam cum barbaris factam prolongari, & moræ innectendæ causa suaserit Regi, ut prius Deo consecraret filiam Berengariam, aviæ cognominem. Hoc si suasit, eo suasit, ut moturus in barbaros filius, velut alter Iephte, hac gratiori sanctiorique victima, propitiaret Deum, victoriæ omnis auctorem. Lauretus nescio quo Auctore asserit lib. 2 pag. 3. Sancto Regi in monasterio Olcarum fuisse a Mauritioo Burgensi Episcopo porrectum Gladium & Labarum benedictum, die XXX Novembris: quod ita potuit aliquis notatum invenisse: non item annum MCCXX; tunc enim adhuc biennium durare debebat treuga cum Saracenis, contra quos dumtaxat sacra arma [Col. 0318D] dabantur. Scripta fortaßis fuerit Æra MCCLX, cum anno Christi 1222 conveniens, & vel typotheta ejus erraverit 0 pro 2 ponens, vel potius ipsemet male subduxerit calculos, sicuti mox annis 35 ab anno 1220 armis illis usum Sanctum scribit, qui tamen an. 1252 obiit.

Ubeta seu Ubeda, Baezæ propinqua ad Orientem, qua oppidum respicit trans Bœtim situm, vulgo Punta de Ubeda. Primus hic forsitan antiquæ urbis situs fuerit; ita ut hæc prædicto fluvio nomen suum vel dederit vel debuerit: urbes enim plerasque in alio quam ubi antiquitus fuerant situ locarunt Mauri, servato quandoque veteri nomine, etiam in longiori distantia. Caseata, vulgo Quesada, a caseis dicta (nescio an adhuc superstes) infræ num. 65 conjungitur Baëzæ & Vbedæ, notis in extimæ Andalusia ad Ortum urbibus.

In vulgata nominantur Aben-Mahomat & Aben-Abdale filius Abdel-Moyn. [Beatiæ Rex Maurus,] De quo apud Zunigam ad an. 1250 num. 10 habetur memoria, sub diplomate signato per Regem, 8 Januarii, anni

deditionem proxime secuti 1226, anno autem regni sui nono, quo anno Azehid Abu-Mahomad, Rex Baëciæ, devenit Vassallus Regis & osculatus est manus suas. Quem sane modum annos regni signandi aliquo memorabili facto, jure laudat Zuniga, tamquam historiæ commodißimum. Robles in Historia Caravacana l. 2 cap. 6 patruelem facit Regis Valentini, ipsiusmet Miramolini Mahomadi cognomento Viridis ex fratre nepotem, & anno 1225 a suis fuisse occisum ait, quod suspicarentur clam factum Christianum; [an a suis ob Christianismi suspicionem occisus?] successorem vero habuisse filium Aben-Mahomad, patri similem & fide & amore erga Sanctum: qui baptizatus dictusque Ferdinandus, nobilem post si reliquerit posteritatem, hodieque in Bætica florentem. Ego ut nihil cuiquam detractum volo, ita optarem talia legitime probari; suspectas enim semper habemus, familiares nimium huic seculo nequam, Genealogistarum imposturas. Et vero quis credat Mauros, qui tali ex causa Regem occiderint, assumpturos ejus loco fuisse filium, de quo nihilo certiores quam de patre essent? aut Ferdinandum inultam reliquisse amici cædem, tali causa patratam, ipso quo se ei conjunxerat anno? vel, si ultus est, tanti momenti rem præteriri in Chronica potuisse? Anno certe 1234 adhuc vivebat Mahomad, & filium miserat in auxilium Christianorum ad Xerez. Sit ergo penes referentem fides, tum cædis illius anno ut summum 1235 patratæ; tum obsidionis, quam a rebellantibus civibus sustinuerit arx, Sancto ex pactis tradita, & Gonzalvo Ybañez Magistro Calatravæ commissa ad custodiam. Hic dicitur, cum arcem desperaret posse diutius obtineri, deficiente penitus annona, [an Valentinus Sancti clientelam expetierit;] ita deseruisse locum, ut calces equorum, in contrariam partem ferrati, vestigia relinquerent velut tendentium in arcem & fidem facerent hosti magni subsidii noctu inducti, qua specie conterriti Mauri obsidionem dimiserint; præsidiarit vero, per mediam progreßi leucam, reflexis

ad arcem desertam oculis, supra ejus portam principalem viderint fulgere Crucem Caravacanam: cujus conspectu animati repetierint locum; eumque contra regressos errore cognito hostes tenuerint, usque dum adveniens cum quingentis equitibus Didacus Lupi de Haro, a S. Ferdinando submissus, festo S. Andreæ cunctos exemit periculo, ingressus per portam quæ ex tali eventu & ex obtenta sequenti die ab erumpentibus inde victoria, appellata fuerit Porta Comitis. Certius id fortaßis probari posset, ipso exhibito instrumento, quod anno 1232, 18 Maji Rex expedierit, invitans quam plurimos ad inhabitandam Beatiam: cui interim a prædicto successu creditur pro armis obtigisse Crux Caravacensis, supra decussatas claves duas; quæ insignia utrum tam antiqua sint, aliis examinandum dimitto. In Historia trium Ordinum agitur de prænominato Calatravæ Magistro, nec aliud quidquam de eo dicitur, quam utilem operam Ferdinando navasse in Bætica subigenda, ac nominatim contra Maurum Beatiæ Regem. Et si verum est, inductos revera Christianos in locum Maurorum, verosimile est id non esse factum nisi ob prægressam aliquam eorum rebellionem, fortaßis post Regis sui mortem, quando Crux visa supra portam fuerit. Mirum est interim Beaticensis Regis, in clientelam Ferdinandi redeuntis, nullam fieri a Toletano mentionem: Lauretus addit Valentinum quoque Regem Zeyt Abuzeyt apparatu Sancti contra se territum, Concham venisse ad Ferdinandum eique homagium præstitisse: qua de re vellem æque certum testimonium videre. Si tamen ea vera est, non potuit facta esse anno quem ille ex Garibayo notat, 1223, sed necessario pertinebit ad annum 1227. Addunt autem illi subjectionem hanc fuisse semen discordiarum inter Castellanos & Aragones, quorum Rex Iacobus Valentinum regnum subjugandum susceperat, sicut & fecit: quare Castellanorum in illud irruptiones suam æstimabat injuriam.

Eadem Chronica: Perfecta autem nobiliter ecclesia ista, novis quotidie augetur ornamentis & ædificiis. Operæ pretium igitur foret, [Cathedralis Toletana,] ad præcise noscendam ætatem Chronicæ, scire quando ecclesiæ Toletanæ Fabrica absoluta fuerit. Primus in fundamenta lapis jactus erat 15 Augusti, quapropter & titulo Assumptæ Virginis dedicata est postea die 28 Octobris. Noster Antonius Quintanaduefias (qui de Sanctis Festisque Toletanis librum conscripsit) pag. 14 eamdem ecclesiā describit ut habentem naves quinque, [ejusque iconismus.] quarum media supra ceteras eminens alta sit pedes 160; longitudinem vero totius molis esse pedum 404, latitudinem pedum 202 numerum autem columnarum eamdem una cum adjuncto claustro sustinentium, ad 804 ascendere. Quam magnificum opus istud sit, utcumq; æstimare poteris ab exteriori ejus forma, secundum latus unum, quemadmodum anno 1566 ipsum delineavit Georgius Housnaglius.

## PARERGON II.
## De Miraculosa sanatione Reginæ Beatricis, per Deiparam, ab Alfonso filio rhythmice descripta.

ARCHIEPISCOPALIS
ECCLESIA S. MARIÆ
TOLETI.

Narrata superiori Capite recuperatione Capellæ, nequaquam prætermittenda videtur occasio, referendi hoc loco insignis miraculi, eam secuti, [Alfonsus Sapiens hymno Gallæco] in sanatione Reginæ Beatricis, quam Rex Sanctus eo tempore Concham advocaverat, propius intenturus ulterioribus contra Mauros progreßibus. Habetur illud apud Zunigam, ex supra laudato Codice Rhythmorum Gallæcorum Alfonsi Sapientis, rem coram oculis suis, licet tum adhuc puerilibus gestam, celebrantis sub hoc titulo: Esta es como Santa Maria guareceu a

Reyna Donna Beatriz de grand' enfermedada porque a orou a ssa omagen con grand' asperança: quæ sic Latine sonant: Hæc est, quomodo S. Maria sanavit Reginam D. Beatricem a magna infirmitate; quia cum magna fiducia adoravit sanctam ejus imaginem.

Quen na Virgen groriosa
Esperanza muy grand à,
Ma, car seia muit enfermo,
Ela mui ben ò gvarià.
D'est un mui grand miragre
Ves quero dezir que oy:
E pero era minyno,
Membrame que foi assi:
Cam estava eu deante,
Et todo ouvi e oy
Que fezo Santa Maria,
Que muitos fer e fara.
Quen na Virgen groriosa
Esperanza muy grand à &c.
Esto foi en aquel año
Quando o mui buen Rei ganou
Don Fernando à Capela
E de Christianos poblou,
E ssa moller à Reina
Doña Beatrix mandou,
Que fosse morar en Concha,
E quant el foi a colá.
Quen na Virgen groriosa &c.
Na oste, e seu mandado
Fer ela mui volenter:
E quando foi na cidade
Peor enferma moller

Non vistès, do que foi ela:
Ca Pero de Monpiller,
Bonos fisicos y eran,

Dezian non vivera.
Quen na Virgens groriosa
Esperanza muy grand à &c.
E porque esto dezian
Non era mui sen razon:
Ca d'aver ela seu fillo
Estava en a sazon: [adorata B. V. imagine]
E avia tan gran fever,
Que quen a via enton,
Dezia, Seguramente
Desta non escaparà.
Quen na Virgen groriosa &c.
Mais la Reina, que serva
Era da que todo val,
Virgen santa groriosa
Reyna esperital,
Fez trager huna omagen
Muy ben feita de metal
De Santa Maria, disse:
Esta cabo mi ferà.
Quen na Virgen groriosa &c.
Ca pois eu assa segura
Vir à tal creencia ei,
Que de todos estos maës.
Que à tan toste guarrei.
Por end a mi a chegade
E logo lle beizarci
As sas manos e os pees,
Ca muy gran prol me terra.
Quen na Virgen groriosa
Esperanza muy grand à &c.
E tod' est assai foi feito;
E logo sen outra ven, [statim convaluit,]
De todos aqueles maës
Guariu à Reina tan ben,
Per poder da groriosa,
Que nada non sentiu en.

Por en serà de mal fiso,
O que a non loarà.
Quen na Virgen groriosa
Esperanza muy grand à &c.

Qui in Virgine gloriosa magnam habet fiduciam, [narrat quomodo se puero mater sua,] quamvis multum sit infirmus ipsa eum bene sanabit.

Hanc in rem prægrande miraculum vobis volo dicere, quod audivi. Eram quidem tunc puer: optime tamē memini remita se habuisse, quia præsens fui, omnesque audivi dicentes, quod fecerit illud Sancta Maria, quę multa fecit & faciet. Qui in Virgine gloriosa &c.

Fuit hoc eo anno, quo bonus Rex D. Ferdinandus obtinuit Capellam, & Christianis habitandam tradidit: suæ autem uxori D. Beatrici Reginæ mandavit, ut veniret habitatum Concham, quamdiu foret in ea regione. Qui in Virgine gloriosa &c.

Nihil morata illa, [Conchæ infirma ad mortem,] valde libenter implevit mandatum ejus: sed mox ut venit in civitatem, magis infirmam mulierem numquam te vidisse dixisses. Quia Petrus de Monpellerio & boni medici qui aderant, dicebant quod non erat supervictura. Qui in Virgine gloriosa &c.

Id autem dicebant non absque magna ratione, erat enim brevi paritura filium: & patiebatur febrem tam vehementem, ut quicumque expertus diceret, Certo inde non evadet. Qui in Virgine gloriosa magnam habet fiduciam &c.

Sed Regina, famula ejus quæ valet omnia, sanctæ ac gloriosæ Virginis & spiritualis Reginæ; fecit adferri quamdam imaginem ipsius S. Mariæ, perpulchre

elaboratam ex metallo, & dixit: Hæc mihi aderit. Qui in Virgine gloriosa &c.

Quia possum ego secura vivere in tali credulitate, quod ab omnibus istis malis bene cito sanabor. Quapropter applicate eam mihi, & statim osculabor illi suas manus atque pedes: quia mihi magnam adferet utilitatem. Qui in Virgine gloriosa &c.

Statim autem totum id factum est, & absque alio remedio, ab omnibus istis malis tam bene sanata fuit Regina, per potentiam gloriosæ Virginis, quod nihil postea malæ valetudinis sensit. Proinde male sanus fuerit, quisquis eam nonlaudaverit. Qui in Virgine gloriosa &c.

## CAPUT VI.
## Maurorum dißidentium motus. Ferdinandi in regnum Legionense succeßio, per matrem curata.

[32] In diebus hujus Regis Ferdinandi, surrexit quidam nomine Abenhuth, in castro Rechoc a in territorio Murtiensi: & cœpit contra Almohades rebellare, qui cismarinos Arabes, adeo crudeli dominio opprimebant, [Mauri mutuis cædibus debilitati] quod de facili Abenhuthi proposito consenserunt. Et obtenta Murtia & finitimis oppidis & Castellis, omnes Almohades quos habere potuit capite detruncavit: & omnes Mezquitas præsentia Almohadum judicans inquinatas, aspersione aquæ fecit a suis Sacerdotibus expiari, & armorum suorum insignia fecit nigra, quæ in bellis & alibi præferebat, quasi luctu præsignans excidium gentis suæ. Et in modico tempore obtinuit Vandaliam Hispanorum, præter Valentiam & confinia, in quibus Zahen de genere Regio rebellavit. Erat autem Abenhuth de genere Abohaget olim Regis Cæsaraugustæ: & cum fere Monarcha in cismarina Vandalia haberetur, audacia, largitate, justitia, veritate (prout gentis ejus infidelitas

seu versutia tolerat) præminebat. Sed a quodam suorum, qui Aben-Raman dicitur, [Christianis fiunt causa rei bene gerendæ.] invitatus ad epulas & delicias familiares, quas gentis illius colit voluptas, factione hospitis & vasalli occiditur in conclavi, apud præsidium Almariæ. Et tunc invaluit Arabs quidam, dictus Mahoma Alienalaginar, qui paulo ante boves & aratri vestigia sequebatur. Hic Argonæ, & Giennii, Granatæ, Vastæ & Accii, & locis aliis adhuc hodie principatur: & post interitum Abenhuthi Vandalia Cismarina in plures Regulos est divisa, & ab Almohadibus separata, quod Christianis utile invenitur. Post hæc iterum Rex obsedit Giennium, & machinis validis impugnavit: sed videns quod civitas tanta fortitudine præminebat, quod non posset humano ingenio expugnari, habito Magnatum suorum consilio, inde recessit.

[33] Et cum Abdalarfarteam pervenisset, rumor advenit patrem suum in Villa-nova de Sarrea ab hoc seculo migravisse, & in ecclesia S. Jacobi traditum sepulturæ, Æra MCCLXVIII: & quod etiam regnum legaverat, quas ex Regina Tarasia susceperat, filiabus. [Mortuo Alfonso Legion. 1230,] Propter quod mater ejus Regina nobilis D. Berengaria ad eum materna solicitudine veniebat, ut ad recipiendum bonum paternum quantocius festinaret, quod ei de mandato Patris Pontifices, Magnates, & Civitatum Concilia jurarant; ne forte in mora perturbatio aliqua oriretur. Erant autem cum eo Rodericus Pontifex Toletanus, Lupus Didaci, Alvarus Petri, [Berengaria filium ducit Legionem,] Gonsalvus Roderici, Garcias Ferdinandi, Alfonsus Tellii, Guillermus Gonsalvi, Didacus Martini, & alii Nobiles & Magnates, & plures Milites civitatum: qui cum Rege inclito venientes, Reginam nobilem, in pago qui Orgatium dicitur, invenerunt: & inde communiter urbem regiam intraverunt. A qua, mora postposita, omnes continue recesserunt, & ad oppidum quod Agger-sellarum dicitur, pervenerunt; [qui per viam bene exceptus,] indeque ad castrum S. Cypriani de Mozoth venienti cum

matre & comitatu, castrum ei ut Domino reddiderunt. Sequenti die eum similiter in Villa-Lalii m receperunt, ubi ad Regem, tamquam ad Dominum, ex Tauro nobilissimo oppido Milites advenerunt, qui Regem sui & oppidi naturalem Dominum cognoverunt, & ut sequenti die Taurum adiret instantissime supplicarunt, nobili Regina hæc omnia solertissime procurante.

[34] [& Tauri ab Episcopis regni,] Altera vero die Taurum intravimus, ubi omnibus annuentibus Rex Ferdinandus, facto sibi hominio, in Regem & Dominum est receptus. Indeque per castra Dominæ Reginæ aliquamdiu incedentes, recepimus ex aliis civitatibus Milites & nuntios venientes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Sorores enim Domini Regis, Sancia & Dulcis, de quibus diximus, rebellionem cum complicibus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum interest Regnum & Sacerdotium contueri, in auditu auris Regem Ferdinandum in Regem illico receperunt, scilicet Joannes Ovetensis, Nunius Astoricensis, Rodericus Legionensis, Michael Lucensis, Martinus Salamantinus, Martinus Mindonensis, Michael Civitatensis, Sancius Cauriensis. Hi omnes cum suis civitatibus, patre mortuo, filio se dederunt, nec rebellio cogitata potuit invalere: nam quam cito venimus Majoricam & Mansellam, Regi se protinus reddiderunt. Sequenti vero die intravimus Legionem, [demum Legione Rex proclamatus,] quæ in Regno illo Sedis regiæ præminet dignitate: ibique ab Episcopo & universis civibus ad regni Legionis fastigium elevatur, Clero & populo Te Deum laudamus cantantibus concorditer & jucunde: & ex tunc Rex Castellæ & Legionis pariter est vocatus. Ibique nuntii advenerunt ex parte Reginæ Tarasiæ, ut super compositione internuntia referentes. Et licet verbum Magnatibus displiceret, tamen Regina nobilis in tantum timuit regni & pauperum vastationem, quod procuravit, ut Rex subsisteret Legione, & ipsa iret

Valentiam, de concordia cum Regina Tarasia tractatura. Cumque ambæ Reginæ Valentiæ convenissent, sic solertia Reginæ nobilis Berengariæ procuravit, [assignata sororibus dote] ut Regis sorores Regi restituerent omnia quæ tenebant, & ipsæ essent provisione contentæ, quam eis Rex & Regina nobilis assignarent: & si quid juris in regno habebant simpliciter resignarent.

[35] Et pacto hujusmodi confirmato Rex advenit, & inde omnes ivimus Beneventum, quo etiam Infantes filiæ Reginæ Tarasiæ advenerunt: [pacifice regnat.] ubi Rex Ferdinandus & Regina nobilis eis reditus triginta millium aureorum in locis competentibus assignarunt, percipiendos toto tempore vitæ suæ: & sic obtinuit omnes munitiones & omnia castra quiete & pacifice Rex Ferdinandus. Et in hoc enituit quam plurimum Reginæ nobilis solers cura: que non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam regnum Castellæ, quod ad eam jure hereditario pertinebat. Sic enim scivit, omnia ordinare, ut, licet Regnorum unio fere omnibus displiceret, ipsa studuit taliter providere, ut sine sanguinis effusione Regnorum unio proveniret, & utrumque Regnum pace perpetua lætaretur. Indeque Rex ivit Zemoram, Salmanticam, Lethesmiam, Civitatem Roderici, & Albam, & per ceteras Regni partes, in quibus honore Regio & hominio ab omnibus est susceptus. Tunc Rex Ferdinandus dedit Caseatam jure hereditario Roderico Archiepiscopo Toletano, quæ tamen aliquantulum reparata a Saracenis incolis tenebatur. Sed Rodericus Archiepiscopus, evolutis a donatione mensibus tribus, exercitu congregato, ivit contra Caseatam cum multitudine armatorum: & expulsis Mauris, qui ruinas oppidi reparabant, illud retinuit; & ad honorem Regis, qui illud dederat Ecclesiæ Toletanæ custodivit hactenus, & custodit cum aliis castris; scilicet Pilos, Toyam, Lacra, Agasmo, Fonte-Juliani, Turribus, Dela, cum Ficu, Alaulula, Areola, Duobus-germanis, Villa-montini, Nubila & Castorla, Concha & Chelis. Post hæc

iterum Rex Ferdinandus obsedit Ubetam, oppidum populosum, bellatoribus & munitione magna tutatum: & adeo fortiter impugnavit, ut conclusi salvis corporibus oppidum resignarent. Et tunc Rex oppido acquisito ad urbem regiam est reversus. Æra MCCLXXII, obiit Regina Beatrix in oppido quod Taurum dicitur, & ducta ad regale monasterium prope Burgis, juxta Regem Henricum regaliter est sepulta.

## ANNOTATA.

De ortu Almohadum agit auctor noster lib. 7 cap. 10, tamquam nomen habentibus a pseudo-propheta quodam, Alcorani interpretationem novam & eatenus receptæ contrariam prædicante, sublato in Regem quodam Aldelmone figuli filio; qui regno Africano potitus, etiam Hispanos Arabes subjugavit, [Almohades Mauri.] itaque in Africam rediit: ex cujus semine tunc regnabat in Africa Miramolinus ille vulgo dictus, de quo supra.

Doctor Laurentius Galindez de Carbaxal, in suis fragmentis, apud Argote de Molina allegatum in Appendice ad Annales Zunigæ, [Prophetia de eorum exterminio expleta.] pro anno 1248 ait, inter libros, quos Ferdinando & Isabellæ Regibus Catholicis tradiderunt Mauri Granatenses, inventa esse eadem omnia quæ referuntur de Almohadibus & Abenhucho: & addi, quod Magus quidam, inter Mauros Propheta habitus, præsens cum tesseraria illa scuta sic tingerentur, exclamarit, nunc finem Maurici in Hispania regni adesse: & Abenhuch quidem pœnas daturum effusi Almohadum sanguinis; sed eo die quo is necaretur, lapsura scuta istæc nigra, nec amplius Regem Maurum futurum Hispali. Itaque revera accidisse: nam mortuo Abenhuc scuta prædicta, in Mezquita Hispalensi appensa, delapsa esse: & Axatasium, sub quo amissa urbs fuit, Capitaneum dumtaxat non Regem fuisse. Mauros autem, ex die

prædicti lapsus scutorum, certam habuisse perditionem urbis.
Videlicet Compostellæ in Galæcia, regno Legionensi adnexa, unde etiam in Annalibus Rogerii de Hoveden paßim vocatur, Alfonsus Rex de S. Jacobo. Chronica aßignat mortem Alfonsi Legionensis anno 1234: sed Æra 1268 annum Christi 1230 notat, eumque exigit multitudo & magnitudo negotiorum, [A. Legion quando obierit?] in duorum Regnorum nova conjunctione oblatorum, per quæ non licuisset Sancto expeditionem in Mauros suscipere ipso paternæ mortis anno, sicut anno 1234 suscepisse eum scimus; nam eo anno recepit Vbetam, secundum ipsiusmet Chronicæ calculum. In eo quod ibi legitur Epitaphio sepultus Rex dicitur juxta Ferdinandum patrem suum: locus autem in quo obiit a Sarria rivo nomen habet, [& ubi ?] estque media fere inter Legionem & Compostellam via, huic quam isti propior.

In quibusdam Roderici exemplaribus, juxta editionem Franco-furtensem, non tamen in Ms. Toletano, similia, sed multo brevius, sic leguntur lib. 7 cap. 25 ubi de patre: Reliquit duas filias, Sanciam atque Dulcem, quibus Regni successionem legavit. Sed quia omnes regni Nobiles, tam de civibus quam de aliis, [Sancti in regnum paternum successio justa] olim filio suo Ferdinando juraverant, non potuerunt regnum filiæ obtinere: sed aliquantis dissidiis procuratis, & civitatibus & nobilibus in varia studia separatis, nobilis Berengaria Regina Castellæ interposuit partes suas; & sic omnes gratiæ solertia dulcoravit, quod, licet Infantes quam plurimos fautores haberent, & munitiones & castra quam plurima in omnibus fere regni finibus possiderent, ad hoc Infantes & matrem earum Reginam Tarasiam necessitate induxit, ut ejus gratiæ responderent: unde paternæ largitatis in omnibus imitatrix, curialitate sua, Infantibus quoad viverent magnos reditus fecit a filio assignari. Porro jam diximus ab inveterato Castellanorum odio ad ejusmodi

dispositionem adductum patrem, [cur eum pater invisum habuerit?] ingratum beneficiis acceptis a filio. Franciscus Macedo in Vita Tarasiæ, cujus ut Sanctæ ratio nobis habenda erit ad 17 Iunii, cap. 31 de hac Alfonsi dispositione agens, nescio an animadverterit, agi de Ferdinando; non qualicumque, sed Sancto Rege; parentum observantißimo, indole mansuetißimo, bellicis æque ac civilibus curis exercito, & jam agente ætatis annum 31. Si enim anim advertisset, non puto scripturum fuisse, quod Alfonsus filio Ferdinando, propter turbulentum ejus & ferox ingenium minus initio æquus & indulgens, postea & infensus fuit: hinc primum, inquit, dissensiones, deinde simultates, tandem apertæ inimicitiæ extiterunt; adeo ut Alfonsus moriens regnum Legionense penes filias testamento reliquerit: tam abalienarant animum patris, filii mores. Intercausas deinde quæ regnorum conjunctionem videbantur dissuadere potuisse, etiam hanc addit idem Macedo: Obrutum in tanta mole rerum juvenem, minus & gratum & expertum rerum publicarum. Ignoscendum viro, multiplici librorum scriptione de argumentis prorsus aliis distractißimo, quod historicas quæstiones levi nimium manu tractaverit, uti etiam ex Appendice ad Vindicias S. Hilarii Avelatensis, ab eodem infeliter susceptas, poterit lector agnoscere ad diem 5 Maji: fuit alioqui amicus mihi, sicut in præfatione ad Vitam S. Mafaldæ demonstravi; sed amicis cunctis magis amica veritas.

## CAPUT VII.
## Ingens victoria de Mauris ad Xerez relata, per Alfonsum sancti Regis fratrem.

[36] Narrat porro Historia, quod cum Rex Zamorram venisset, uti superiori Capite dictum est, [Missus Alfonsus frater.] inde miserit fratrem suum Alfonsum ad incursionem faciendam in terras Maurorum, jungens ei D. Alvarum Perez de Castro, natione Castellanum, ut

exiguam Infantis juvenis experientiam grandi sua prudentia suppleret cum titulo Capitanei: erat enim Eques perquam strenuus & exercitus in armis: occasionem vero magnum aliquem successum sperandi contra Abenhuc Maurorum Regem offerebat subditorum ejus contra ipsum rebellio, postquam Ambalule Miramolinus Marocchos redierat trajecto mari. * Infans ergo Alfonsus, secundum mandatum Regis Salamanca egrediens, [cum Alvaro Perez belli duce,] cum Capitaneo suo D. Alvaro Perez & D. Ægidio Manrique, perrexit Toletum: & assumptis ibidem equitibus quadraginta, transito Muladarii portu, venit in Andugar: unde D. Alvarus in omnes partes emisit expeditos equites, qui prædam infinitam collegerunt, Cordubam usque progressi, quidquid poterant expilando destruendoque; & sic pervenerunt Palmam, quam generose oppugnaverunt, eaque vi capta omnes intus repertos Mauros ad unum usque interfecerunt. Inde vero ingressi Hispalense territorium, conculcando omnia & mactando, transita Hispali procurrerunt usque Xerez, miseruntque cursores & prædam multam fecerunt. Collectis autem manubiis, mandarunt Infans & D. Alvarus tentoria poni prope Xerez secundum fluvium Guadalete: ubi acquisitam prædam provide & caute contraxerunt in unum locum.

[37] [contra Maurorum copiosissimum exercitum,] Rex interim Abenhuc, ex quo scivit quod Infans popularetur Andaluziam, quantasque prædas ibi ac ruinas faciebat; jussit convocari quidquid erat Maurorum ex hac parte maris, secumque proficisci Xerez, ubi erat Alfonsus: itaque collecta est undique multitudo magna, non solum imperio Regis sui, sed etiam fama Infantis excita. Considerans ergo Abenhuc Christianorum exercitum, & minime numerosum esse intelligens, certo credebat quod non posset elabi sibi de manibus: idemque credidisset, quicumque collatas utrimque vires inter se comparans, non cogitasset Deum posse in paucis æque ac multis

vincere. Quare castris positis in oliveto, inter Christianos & oppidum, ante omnia peditibus suis edixit, ut præpararent multa vincula funesque ad vinciendos captivos: quod sane neutiquam frustra fuit, suum enim usum opportune habuerunt, ad ipsosmet constrigendos abducendosque. Non tamen Christianos, quia pauci erant, contempsit Rex Abenhuc: sed curavit, ut aciem instrueret quam ordinatissimam contra eos, eamque in septem turmas distribuit; quarum minima mille quingentos equites, quædam bis mille numerabant, [ipse modicas copias ducit:] aut etiam amplius: adeo ut totus equitatus Christianorum non posset cum minima Maurorum cohorte æquiparari, quamvis conjunctus eis esset filius Regis Baëzæ; qui erat Regis Ferdinandi vasallus, Infantique ad expeditionem progressuro submiserat istum suum filium, cum equitibus ducentis ac trecentis peditibus. Venerant etiam ad Infantis subsidium multi Fratres militarium Ordinum S. Jacobi & Calatravæ: sed simul omnes respectu Maurorum pauci erant. Reperti quoque in eodem prælio fuerunt Tellus Alfonsus, & Ruy Gonsalez de Valverde, in eoque generosissime se gesserunt: universus autem Christianorum numerus, tam equitum quam peditum, vix censebantur mille quingenti.

[38] Hi tam pauci, videntes tantam Maurorum multitudinem collectam, [easque novorum hostium ad ventu territas,] haud parum fuerunt conterriti; maxime cum hostibus subsidio venit quidam Rex Arabum cum septingentis equitibus: qui post Christianorum terga se collocantes, majores etiam angustias fecerunt, neque progredi neque regredi valentibus: utpote quibus ab una parte objiciebatur fluvius valde profundus Guadalete, ab altera Maurorum exercitus. Nihilominus D. Alvarus, ut erat dux strenuus, animos addere suis conatus, tam efficaces adhibuit rationes, ut excusso metu expeterent prælium, ac si decuplo plures Mauris fuissent. Frontem aciei obtinebat Alvarus, posteriora tuebatur Alfonsus,

habens apud se Mauros quingentos ea excursione captos, quos omnes ut decapitari juberet Infans, edixit Alvarus, id enim in præsenti casu convenientius videri. Inito deinde cum præcipuis militiæ suæ capitibus consilio, [in unam phalangem colligit.] decreverunt peditatum ab equitatu sejungere, sicuti & Mauri fecerant; non tamen in turmas dividere suos, sed in unam omnes phalangem componere. Mandavit etiam ut opifices quam multi possent mulas & jumenta sarcinaria conscenderent, turmamque construerent, & sese ad eam partem jungerent quæ magis urgeretur. Ingens erat Maurorum clamor fremitusque, tympanorum vero æneorum crepitus atque tubarum clangor tam horrendus, ut cælum terraque misceri viderentur. Illo autem die, quo pugnandum erat, [Animati ad pugnam milites & expiati,] tunica delicata se vestiit Alvarus; sumptaque in manus virga, veluti satis superque instructus ab armis, adhortabatur milites ut parvi facerent Maurorum potestatem, fiduciam omnem collocantes in Deum, qui eis daturus esset victoriam de sanctæ suæ fidei inimicis.

[39] Tum Christiani, quotquot habebant copiam Sacerdotum, confitebantur eis peccata sua; prius autem quam congrederentur exercitus, D. Alvarus Perez Equitem ordinaverat Garziam Perez de Vargas, cujus deinde multa erit mentio in historia, & hoc principium fuit armorum ejus. Absolutis Confessionibus Christianorum, cum sibi invicem mutuas condonassent offensas, seque Deo commendassent ex animo; misit D. Alvarus nuntium ad Infantem in fine consistentem, ut (quemadmodum convenerat) in unam phalangem conjungerent sese: quo facto exorsus denuo est Alvarus omnes animare, in hanc illamque partem discurrens, eaque suggerens magna cum prudentia quæ res locusque postulabant, ad excutiendum timorem & alacritatem ciendam. Itaque juncti simul omnes, inclamantes S. Jacobum & aliquando Castellam, invecti sunt in Maurorum turmas; quarum

primam perrumpentes, moxque secundam ac tertiam, singulas denique unam post aliam profligarunt, disjicientes ac mactantes quoscumque obvios, cum maxima ubique clade. Adeo autem se illis permiscuerunt Christiani, ut unum Maurum cum altero non sint passi consistere. Sic disjecti confusique verterunt terga, [invehuntur in hostem, eumque fundunt,] qua maxime poterant fugientes, insequentibus eos Christianis atque mactantibus & infinitos captivantibus, usque ad portas Xeresii: ubi ingens fuit Maurorum invicem se prementium, imo & occidentium strages facta. Pedites autem, præ numero cadaverum super campum stratorum, vix poterant progredi, & tamen multos etiam ipsi captivos fecerunt. Grande eo die miraculum in favorem Christianorum creditur operatus fuisse Deus, misso ad eos in prælio juvandos sancto Apostolo Jacobo, idque duabus de causis sustineri potest. Primum quia impossibile erat, Christianos tam paucos, de Mauris decuplo pluribus, reportare victoriam istiusmodi absque simili auxilio: [a S. Iacobo apparente adjuti.] deinde quia plurimi ipsorummet Maurorum dixerunt, se vidisse Equitem equo albo invectum, cum vexillo albo in manu una, gladio evaginato in altera, quem alii multi Equites albi sequebantur: vidisse etiam per aërem discurrentes Angelos: quodque Equites isti multo plus damni inferebant Mauris, quam ipsimet Christiani, quorum etiam aliqui idem se conspexisse testati sunt.

[40] Sed regrediens ad historiam, dico, quod cum eo modo campum obtinuissent Christiani, [Rex Gazularum occumbit:] Mauris partim cæsis partim captis fugatisque, inter mortuos numeratus fuerit Rex Gazularum aliique honoratissimi multi: in cæde autem prædicti Regis præcipuam laudem retulit novus, quem diximus, Eques, Garcias Perez de Vargas: hic enim occidit eum. Ipse autem adduxerat septingentos illos equites Arabes, unde

maximus terror Christianis in principio fuerat incussus. Quamquam enim Historia eos superius Arabes nominet, hic vero Gazulas, de una tamen eademque gente ac Rege intelligenda est. Hic siquidem quasi ex voto, in sui Mahometi honorem peregrinatione suscepta, cum transitum hac haberet, [Rex Abenhuc fugit.] accepit a Rege Abenhuc civitatem dictam de los Gazules, utique ab iis qui in hoc prælio adfuerunt. Porro Rex Abenhuc, cæsis ac dispersis copiis suis, non credidit satis tutum se esse Xeresii: & quam occultissime potuit se recepit, ea via qua sperabat posse evadere. Christiani vero, plena potiti victoria, redierunt in campum ad colligenda spolia, quæ plane innumerabilia erant; adeo ut fastidio denique essent colligentibus, maxime quia tentoria inveniebantur tam plena ac referta omnis generis annona, [Christiani præda ingenti potiuntur.] ut nihil esset aliunde conquirendum. Toto etiam tempore quo ibi substiterunt, non aliis ad focum lignis usi sunt, quam hastis lanciesque & telis confractis. Vincula & manicæ ac funes, quæ præparari Abenhuc jusserat pro abducendis captivis Christianis, perquam necessaria fuerunt ipsismet colligandis, quorum tamen numerus copiosior fuit quam apparatus vinculorum. Post hæc effuderunt se pedites per oliveta, in quorum densitate adeo multos Mauros mactarunt & ceperunt, ut licet eos dumtaxat occidissent atque cepissent, solae hae postremae manubiae abunde eos potuissent locupletare. [heroica quorumdam facinora,] Multi Equitum Christianorum insignia in hoc prælio patraverunt facinora: imprimis autem D. Alvarus Perez, quamvis eum sola virga armatum ad pugnam venisse Historia dicat. Similiter fecerunt etiam Ægidius Manrique, Tellus Alfonsus, & Ruy Gonzales, atque alii plures, ferientes lanceis gladiis & clavis; Equites etiam Toletani varii, quorum gesta narrantur, ei qui non viderit difficilia creditu: Fratres quoque militarium Ordinum grandem Maurorum fecerunt stragem; omnes denique,

per gratiam Dei auxilium ferentis, generosissime se gesserunt. [imprimis Didaci]

[41] Inter ceteros celebratur quidam, Dicadus Perez de Vargas dictus, ipsius D. Alvari subditus, cui contigit ingentes suas vires hac occasione monstrare. Cum enim, amissis inter præliandum hasta atque ense, aliud nihil haberet quo manum armaret; rescidit ab olea quadam nodosum ramum, cum eoque ingressus qua maxime calebat pugna, a dexteris & a sinistris graves ictus incutiebat, patrabatque facinora justis armis vix exequenda; quibus cum delectatus plurimum Alvarus identidem acclamaret, Eja, eja, Didace: Machuca, Machuca; [& Garciæ Perez fratrum.] id est, Contere, Contere; mansit Equiti isti ex eo die cognomen istud, quod hodieque ex posteris ejus aliquibus adhæret. Alius ejus frater germanus, dictus Garcias Perez de Vargas, ille quem creatum Equitem ante pugnam fuisse diximus & Regem Gazularum interfecisse, plura quoque insignia opera eo die fecit, quamvis cæso tertium ejus equo, sumendus toties novus ei fuerit. Deinde autem in aliis occasionibus quibus adfuit magna effecit, quemadmodum in decursu historiæ apparebit: æquum est enim virorum fortium generosorumque Equitum commemorare heroicas actiones, non minus quam degeneres aliorum culpas.

[42] [Quidam nolens inimico ante pugnam reconciliari,] Accidit autem casus perquam notabilis die ista duobus inter se cognatis Equitibus, odio invicem prosequentibus: scilicet, quod cum sibi mutuo confitebantur milites inituri certamen, is cui magis videbatur incumbere ut alteri satisfaceret, veniam a commilitone petiit solum pro die illa: & hic erat jam nominatus Didacus Machuca, alter vero Petrus Michael vocabatur, Toletani ambo. Sed Petrus ignoscere Didaco noluit, quantumcumque a Clericis ac viris religiosis admonebatur (quamvis etiam ipse Instans D. Alfonsus ac D. Alvarus Perez eum rogarent) nisi hac

sola conditione, ut Didacus complexum ejus admitteret; id scilicet agens ut eum occideret: tantarum enim erat virium, ut quemcumque posset complexu stringere, elisum suffocaret. [in eadem solus perit.] Cum ergo Didacus conditionem abnueret, nolens tali periculo se exponere, nec aliter quam in Dei servitio mori propositum habens; ambo ad pugnam sunt progressi. Placuit autem Deo, quod, ex omnibus Equitibus Christianis ad prælium eductis, solus Petrus Michael, qui commilitoni noluerat condonare offensam, desideratus sit, neque inventus postea aut vivus aut mortuus; quamvis visus sit in ipso conflictu singularia multa patrare facinora, præ grandi virium suarum robore; & licet post receptum fuerit diligenter quæsitus. Sunt quidem qui affirment, quod nimio prosequendæ cædis ardore abreptus, inter fugientes Mauros Xeresii portam sit ingressus, ibique numero obrutus & occisus: verum nihil certi potuit de eo resciri, ad exemplum eorum, qui audent prælio se committere, prius quam offensam deprecanti sodali eam condonarint. Grandes fuerunt favores quos Deus in illa die Christianis fecit, grandis honor & gloria quam hi retulerunt, nec minor confusio barbarorum, quandoquidem ex toto fidelium exercitu vix decem homines occubuerint, [Victores revertuntur ad Regem.] Maurorum vero cæsorum atque captorum numerus modum omnem excesserit. Itaque Infans Alfonsus & D. Alvarus Perez multa laude clarum & spoliis opimis onustum exercitum reduxerunt ad propria; filius autem Regis Baëzæ gloriosus & opulentus revertit in patriam. Illi vero Palentiam venientes, ubi Rex Ferdinandus erat, perquam benevole sunt excepti. Victoria porro ista, causa fuit cur Christiani postea acquisierint totam Andaluziam: tantus enim terror incussus est Mauris, ut numquam potuerint pristinos animos viresque resumere.

## ANNOTATA.

Rodericus lib & cap. 13 docet, Alfonsum Castellæ Regem an. 1213 celebrasse Pentecosten, præsentibus uxore Alienor & filio Henrico & filia Berengaria & nepotibus Ferdinando & Alfonso: & quando puer Ferdinandus ad votum matris sanabatur sub annum 1209, simul cum eo apud avum degebat etiam Alfonsus secundogenitus, tunc saltem quinque aut sex annorum puer; atque adeo nunc agebat ætatis annum haud minus quam trigesimum: ut auctor Chronicæ omnino videatur errasse, tam juvenem inexpertumque describens, qui fratre suo, jam 36 annos nato, ut summum quatuor aut quinque annis junior erat.
End Noteb Palma, oppidum Andaluziæ, inter Cordubam & Hispalim trans Bætim.

Xerez de la frontera, juxta fluvium qui paulo post in mare influit ad sinum Gaditanum, dicitur de la frontera, quia respicit confinia Regni Granatensis, quod diu mansit in potestare Maurorum, sub tributo tamen, ut mox videbimus; atque ita distinguitur ab altero ejusdem nominis oppido, in confiniis Andaluziæ & Alegarbiæ, dicto Xerez de Guadiana, quia ad Anæ flumen situm circa ejus ostium.

Cum ergo supra num. 37 dicitur Rex, tradente Arabum Principe, cepisse Beatiam aliaque vicina loca; intelligo non omnia retinuisse, sed quædam restituisse amico jam ac tributario, cum titulo Regis, ad continendos facilius cilius Mauros Granatenses; Beatia tamen ipsa Christianis incolis datæ, cum Episcopo inferius nominando, non fuit reddita.

[Confessio mutua laicorum periclitantium.] Etiam hoc tempore, in defectu Sacerdotum urgente periculo certaminis vel naufragii, aliquando tale quid usurpatum scio; vix credo tamen aut olim aut recentiori memoria fuisse adeo rudes Christianos, ut crederent ejusmodi Confeßionem æque esse Sacramentalem ac est

Baptismus in casu neceßitatis collatus a laico, sed solum pro actu aliqualis pœnitentiæ eamdem usurpavisse.

Odoricus Vitalis lib. 8, Quidam, inquit, ferens ingentem maxucam, [Maxuca clava.] Presbyterum properantem preȩvenit, & super caput ejus levato vecte, dixit, Sta: unde intelligis Maxucam & vectem idem esse: sicut autē Itali a voce Mazza fuste faciunt amazzare occidere: sic a Maxuca formatum verbum Maxucar, haberet in Imperativo Maxuca, ut hic explicatur: videtur autem Maxuca augmentativum esse a Mazza, atque adeo grandem fustem significare.

Nemini id incredibile videatur: nam & parentum nostrorum memoria fuit in Antverpiensi arce Hispanus miles, [Hispani unius stupenda fortitudo.] tantarum virium, ut rhedam, a duobus equis effuse currentibus protræctam, retro apprehendens sisteret, vectem ferreum grandem trans fossas latißimas murosque sat altos in arcem jaceret, stannearum lancium oras flectendo crisparet solis duobus digitis, & pomum manu comprehensum non dimitteret, quamvis quatuor alias robustißimi viri simul id niterentur extorquere.

Hic primum ponit Chronica, ex Roderico, captam Ubedam, & mortem Reginæ Beatricis, ut videatur hanc victoriam relatam dicere ipso anno 1234: eoque confirmatur, errorem supra notatum ad Cap. 6 litt. h, non esse imputandum typographis, sed editori vel auctori ipsi. Dolendum profecto quod tam insignis victoriæ annus nusquam expressus inveniatur. Non possumus tamen de ea dubitare, cum ejus meminerit Lucas Tudensis, num. 7 eamdem paucis verbis vehementer extollens. Quod autē eam prætermiserit Rodericus Toletanus, forte referet aliquis in ejus tunc Romæ degentis absentiam; sed qui propterea non omisit Cordubensis urbis a Christianis occupatæ historiam strictim describere, non videtur Xerez

anam pugnā potuisse penitus præterire, ideoque magis propendeo ut aliquid desiderari credam in ejus contextu: in quo etiam desideratur homagium Sancto Regi præstitum a Regibus Beatiæ & Valentiæ utrumque momenti ad historiam permaximi; sicut & alia supra indicata.

## CAPUT VIII.
## Cordubense suburbium intercipitur a Christianis, urbs deinde ipsa obsidetur a Sancto Rege.

[43] Quinque annis a post patris sui Alfonsi mortem, jam bene stabilitus in regno suo Legionensi strenuus Rex Ferdinandus, captaque Ubeda gloriosior, [An. 1235,] anno MCCXXXV obsedit Cordubam, civitatem Regiam, unamque ex præcipuis Andaluziæ, idque hac ratione. Cum Ferdinandus Regnum Legionense visitando obiret, administrans justitiam & curans publicum commodum populorum; contigit eum venire in oppidum Benavente, eo ipso tempore, quo Christiani Mauris vicini equites ac pedites, cum Almogaravibus seu velitibus ac viarum peritis ductoribus, convenerunt in Andugar, quod Christianorum erat. Factaque in regnum Cordubense excursione, inter spolia quæ retulerunt, etiam adduxerunt Mauros aliquot; ex quibus intellectum est, gentem istam Cordubæ perquam securam agere, neglectis vigiliis custodiisque, [Mauriscaptivis suggerentibus,] eo quod a Christianis nihil sibi crederent formidandum. Offerebant autem illi se ad parandam eis viam, designaruntque modum quo capi suburbium unum posset, Arabice Axarquia nuncupatum: de quo facile convenit, quia credebatur per illud posse obtineri civitas, sicut & factum est. Tum deliberatum est, qua ratione disponerentur omnia, ad executioni mandandum adeo salutare consilium; quęsitæque sunt scalę & omnis alius necessarius apparatus. Visum deinde est occupandam noctem aliquam obscuram & pluviam, [persuasi

suburbium tentare Christiani,] qualem cito promittebat mensis, qui tum currebat, Januarius. Rebus sic compositis, omnium certiores fecerunt Petrum Ruyz Tahur, & Martinum Ruyz de Argote: miseruntque Martos, ut id de quo conventum erat indicaretur D. Petro Ruyz, & D. Alvaro Perez fratri ejus; significantes quod pro tali, quam nominabant, nocte cuncta habebant ordinata: adessent illi cum justo militum numero in succursum.

[44] Dum nuntius excurrit Martos, ipsi quantas potuerunt copias aggregarunt, & in eam qua condictum erat noctem scalas suas expediverunt, ac minimo strepitu subierunt usque ad pedem antemuralium; maceriamque circumeuntes, auscultabant solicite an in turribus & antemuralibus vigiliæ agerentur: inveneruntque mutire neminem, sed omnes alto sopore teneri, plenumque mediæ noctis silentium servari. Cunctis autem probe exploratis, [hibernæ noctis silentio accedunt,] sucque consilio favere judicatis, locuti sunt cum quibusdam illic repertis Christianis, quid agendum esse putarent. Respondit autem iis Dominicus, qui viam monstraverat: Domini mei, suaserim ego, ut bene facientes signum Crucis, commendemus nos Deo vero, & gloriosissimæ Virgini matri ejus benedictæ, sanctoque Apostolo Jacobo, & sic viribus omnibus connitamur hoc opus effectui dare; ideo enim huc venimus, fidentes Deo ejusque benedictæ Matri quod nos juvabit, quia agitur de ejus servitio & honore, atq; de exaltatione sanctæ fidei ejus. Quod si nequeamus jacere sparteas hasce scalas, utamur ligneis, atque per eas conemur ascendere. Primi autem ascendant qui melius e nobis callent Arabicam linguam, & gentis more vestiti sunt; ut occursuri forsitan eis Mauri suos esse credant, neque agnoscant qui sint. Qui autem sic ascenderint, satagant primam turrim occupare, donec ascenderit multitudo reliqua.

[45] Placuit omnibus Dominici consilium; ipsumque executioni mandantes, experti sunt tres ligneas scalas: cumque has nimium curtas esse viderent, alias aliis adnectentes applicuerunt ad primam turrim. Ascenderunt ergo priores Alvarus Colodro & Benedictus de Banios, quia hi accuratius callebant idioma Arabicum: secutique sunt alii, [turrim unam inobservati occupant,] quotquot vestibus ac mitris Mauricis induebantur: & ceperunt turrim, quæ usque in hodiernum diem nomen habet Alvari Colodro. Hic quatuor Mauros sopitos invenerunt: quorum unus ex illis erat qui cum Christianis ad hoc negotium conspirarant, in ea quam supra dixi excursione capti, & tendandæ rei auctores primi. Cum ergo accedentes ad turrim Christianos interrogarent Mauri, quinam essent & quid quærerent; responderunt Arabice, se esse inspectores vigiliarum. Tum Maurus, quem dixi e conspiratis fuisse, Alvarum Colodrum ex voce agnoscens, apprehendit manum ejus, atque in aurem clam dixit: Ego ex eis sum quos nosti; cura ut hos qui mecum sunt occidas, & ego vos juvabo. Tunc Christiani manus in ipsos miserunt, [æc deinde ceteras cum porta:] oribusque obstructis dejecerunt ex turri, ubi mox ab aliis mactati sunt; cœperuntque Christiani ceteri confestim ascendere. Cumque jam pro parte majori ascendissent in turrim istam, progressi sunt per murum, & sigillatim occuparunt turres omnes, usque ad portam ducentem Martos, qua ipsa etiam sunt potiti.

[46] Jam illucescebat aurora, & Christiani, omnes quas dixi turres ipsamque portam habentes in potestate, [admissisque sociis potiti loco,] aperuerunt illam, atque intromiserunt Petrum Ruyz Tahur cum suo equitatu. Mauri autem ut viderunt suburbium totum, quod Axarquia dicunt, Christianorum esse; coacti fuerunt dimissis domibus suis confugere ad civitatem, cum modico eo quod quisque auferre potuerat fortunarum suarum, quorum ingens strages facta est a Christianis, usque dum

civitati sese inclusissent. Hoc facto Christiani firmiter sepierunt omnes plateas suburbii, excepta principali atque directa, per quam insequebantur fugitivos. Mauri vero, postquam in civitatem intulerunt quidquid rerum suarum salvare quiverant, eruperunt contra Christianos, cum eisque cœperunt pugnare; aliis interim ex urbis mœnibus sagittas jacientibus & petras, tanta cum rabie & contumacia, ut victores tertium coacti fuerint usque ad murum recedere. Videntes ergo tam acriter se urgeri a Maurorum multitudine, inito consilio duos viros emiserunt, alterum ad Regem Ferdinandum Dominum suum; [nuntios ad subsidia petenda expediunt.] alterum ad D. Alvarum Perez, qui in Martos habitabat, eratque ex nobilioribus ac potentioribus regni Castellæ; & ad quemdam Equitem, Ordonium Alvarez nuncupatum; huic autem posteriori nuntio imperarunt, ut per quæcumque transiret Christianorum Mauris finitimorum loca, propalaret quod actum erat, sicut & fecit. Qui vero ad Regem fuerat missus, diu noctuque accelerans iter, venit in Benavente; offenditque Regem ipso quo ad mensam erat accubiturus tempore, ac genibus flexis epistolam tradidit.

[47] Visa Rex epistola, nec unam quidem horam cunctari voluit; [Rex continuo advolans,] sed illico conscendens equum, cum Equitibus centum se dedit in viam, mandans ut subditi ceteri sequerentur (idque per omnes civitates, oppida, & loca munita) atque in confiniis convenirent. Tempestate illa vehementer abundabant aquæ, adeoque intumuerant fluvii, ut cum vado transiri nequirent, Rex non potuerit tam cito quam optabat adesse subsidio suis: clementiori tamen aura reddita, prosecutus est iter, valdeque opportune supervenit Christianis. Iter autem quod tenuit fuit hujusmodi. Benavente venit ad Civitatem Roderici, & hinc Alcantaram. Alcantara digressus, transito navi Guadiana, Metellinum venit, Metellino Magazelam & Bienquerenciam. Bienquerencia Maurorum Castrum erat, cui ex ea gente Præfectus obtigerat, [cum solis 30

armatis eo perventi,] Eques generosus & valde probus; qui intelligens Regem Ferdinandum tentorium tetendisse in campo prope fontem vicinum castro, exivit ad manus ei deosculandas, adferens ei dono panes, vinum, carnes, & avenam. Excepit hominem Rex perquam humaniter & honorifice, rogavitque ut castram sibi traderet. Qui respondit, Domine, tu modo proficisceris ad Cordubam capiendam, donec autem hoc fueris executus non poterit usui tibi esse hoc castrum; postquam vero urbem ceperis, & hoc & quidquid habeo, meipsum quoque, tibi in servitium tradam. Hoc autem ficte dicebat & ironice, pro certo habens fore ut numquam Rex Cordubam caperet: quippe qui solum triginta armatos viros secum ducebat, quorum præcipui erant D. Ferdinandus Ruyz, Caputvaccæ cognominatus; D. Didacus Lopez de Vaya, tunc adhuc Scutifer; Martinus Gonzales de Gamacos, Sancius Lopez de Alios, D. Joannes Arias de Mexia, & alii plures, nominatim ab Historia non expressi.

[48] Porro a castro Bienquerenciæ transiit Rex ad Duas-germanas & Guadalbazar; hinc vero discedens, relicta ad dextram Corduba, tetendit ad Pontem Alcoleæ; ibique explicuit tabernaculum, cum paucis illis quos post se trahebat Equitibus. Quando autem iliuc advenit Rex, [quo alii ex variis locis jam prævenerant.] jam a diebus aliquot suburbium Axarquiæ ingressus erat Alvarus Perez in auxilium Christianorum, & D. Petrus Ruyz frater ejus, quem Mauri Alastac nominabant, quia simus erat. Similiter ex confiniis omnibus accurerat eodem magna multitudo tam equitum quam peditum, augebaturque quotidie numerus, mox atque mandatum Regis innotuit, ex tota Castella, Legione & Extremadura, ut Deo Regique præstarent obsequium, ad honorem nominis Christiani fratrumque auxilium. Hi vero ut intellexerunt adventum Regis Ferdinandi Domini sui, dici non potest quanto fuerint repleti gaudio; utpote jam vehementer fatigati, atque in angustiis positi; obliviscentes quidquid passi

erant malorum, & novas vires resumentes, ad facinus, quod feliciter cœperant, consummandum.

## CAPUT IX.
## Ecigensis Regis succursu aliorsum verso, Vrbs Sancto deditur.

[49] Illo tempore Ecigæ a morabatur Rex quidam Maurus nomine Abenhuc, multum habens militem peditem equitemque: [Rex Abenhuc Cordubensibus auxilio venturus,] apud quem versabatur Christianus Eques, D. Laurentius Xuarez nuncupatus, atque a Rege Ferdinando propter facinora quædam relegatus. Dum ergo ante Cordubam erat Ferdinandus & exercitus Christianorum adhuc exiguus, licet ex variis partibus identidem novus miles accederet; si voluisset Rex ille Maurus, ad cujus ditionem Corduba spectabat, contra eum progredi cum omnibus quibus poterat viribus, haud difficulter eum inde pepulisset. Sed Deus, cui suppetit remedium adversus quæcumque pericula, istiusmodi cogitationem menti ejus excussit, in gratiam Regis Ferdinandi. Siquidem Abenhuc iste vehementer formidabat alia facinora aggredi, jam sæpe in similibus castigatus, & numquam sine clade regressus ab ejus generis expeditionibus. Quare licet ei diceretur, Regem exiguas tantum copias habere, [consilio Castellani apud se exulantis,] non audebat iterum tentare fortunam: deinde non poterat persuadere sibi, quod vir talis, qualis Ferdinandus erat atque tam potens, cum parva manu obsideret Cordubam. Deliberandum igitur sibi maturius ratus, inter alios voluit etiam audire D. Laurentium Xuarez, quia existimabat hunc sibi quod utilius foret consulturum, idque duabus de causis: quia scilicet multum fidebat ei credebatque in omnibus, & quia existimabat ipsum pessime velle Ferdinando, a quo fuerat ejectus. Talia considerans, vocavit eum, & dixit: Laurenti, quid hic mihi agendum suades? Respondit ille; Domine, quandoquidem Celsitudo tua me interrogat, quid

agendum sit, dicam. Ego, Domine mi, transferam me ad castra Christianorum, tribus Christianis equitibus comitatus; in eaque secreto me insinuans accurate perlustrabo omnia, & quo res loco sit cognoscam, ac deinde revertens dicam, quid faciendum sit; interim mihi promittas velim, quod nihil omnino moturus sis usque dum regrediar, nec moveri ab aliis sines. Placuit autem consilium Regi, & ut ita faceret imperavit.

[50] Tunc D. Laurentius, tribus secum pariter equitibus comitantibus, in viam se dedit; perveniensque ad illos colles qui sunt ad alterum caput pontis, desiliit in pedes; unumque ex tribus sequi etiam peditem jussit, [atque ad castra Christiana exploranda emissi,] duobus aliis commendans equos usque in reditum suum. Ingressus in castra lento passu pervenit usque ad tentorium Regis, ibique reperit unum ex Regii corporis Custodibus in excubiis positum, atque ei dixit: Amice, gratiam quæso hanc mihi facito, ut aliquem ex ministris Regiis voces, dicasque hominem adesse, qui ei loqui velit; idque confestim, magni enim momenti rem esse. Introvit ergo in tentorium venator, vocavitque Martinum de Otiella, qui continuo consurgens egressus est foras. Hunc rogavit Laurentius ut vellet secum in partem secedere, ubi secreto loqui cum eo posset, dixitque ei, Noscis me? Ego sum Laurentius Xuarez: ingredere ad Regem, & dic ei, quod hic sim, & cupio loqui ei; rogo autem ut Celsitudo sua mihi det licentiam introeundi ad se, [& cum R. Ferdinando clam locuti,] nec enim aliter ausum quidquam. Ingressus Martinus excitavit Regem, tum forte dormitantem; indicavitque adesse Laurentium Xuarez, qui Celsitudini suæ loqui volebat, modo daretur ingrediendi licentia. Ingredi ergo jussum interrogavit Rex, quomodo audebat in suo conspectu apparere. Respondit Laurentius, Domine, tu me ejecisti in regionem Maurorum, ad male faciendum mihi; ego vero credo quod hoc fuerit ad meam vestramque utilitatem. Atque inde narravit ex

ordine quidquid acciderat; jubebat autem, ut porro dispiceret Celsitudo sua, quid mandatum ac factum vellet. Placuerunt Regi verba Laurentii, quæsivitque ab eo ecquid ipse faciendum judicaret.

[51] Tunc dixit ei D. Laurentius; Domine, videtur mihi quod Celsitudo vestra debeat hic manere quieta, ubi nunc castra fixit cum exercitu suo, sed majori quam nunc adhibeat vigilantia opus esse: videat autem quantum militem habeat in suburbio Axarquiæ: qui si sufficiat ad tuendum illud, id tibi satis sit; ceteros autem omnes, ibi non necessarios, junge exercitui tuo. Ego vero revertar ad Regem Abenhuc, & meliori quo potero modo conabor eum divertere a proposito; dicamque, quod omnia quæ ei sunt relata, sint falsissima; & vestram Celsitudinem hic esse cum copiis numerosis, nec ulla ratione ipsi expedire ut huc veniat; [de modo periculi imminentis avertendi,] atque ita suadebo ut dimittat militem quem legit. Duarum autem rerum alterutra continget; ut scilicet vel ego divertam eum, ne veniat adversus Celsitudinem vestram; vel si efficere id non potuero, promitto Celsitudini vestræ, quod continuo veniam cum omnibus qui ibi sunt Christianis, ad serviendum tibi in propria persona, ac vitam reliquam eidem impendendam: quid autem ibi factum sit, tertio abhinc die intelliges per epistolam meam, ab hoc quem adduxi scutifero deportandam. Tunc Rex Ferdinandus D. Laurentio gratias egit, pro tam bona voluntate ejus erga se; eique veniam præteritorum concedens, recepit in subditum, dimisitque; dicens, ut quemadmodum promiserat, ita ageret. Osculatus manum Regis Laurentius abiit, & abiens dixit Regi, ut per tres aut quatuor sequentes noctes juberet in castris excitari focos multos, ut si forte Abenhuc mitteret alios exploratores Mauros, numero focorum persuasi crederent vera esse quæ ipse retulisset. Respondit vero Rex, iret in pace, curandam rem ita ut consuluerat.

[52] Dimissus a Rege Laurentius egressusque e castris, rediit eo ubi dimiserat comites & equos; subditisque calcaribus, quam potuit celerrime iter suum relegens, [abducitur a proposito:] primo mane pervenit Castrum, atque inde Ecigam appulit sequenti nocte sub primum somnum; moxque ad Regem Abenhuc accessit. Gavisus est eo viso Rex, & quid vidisset interrogavit. Ipse vero respondit; Domine, haud equidem libenter dixero, certus non habendam mihi fidem: sed mitte alios qui videant, & invenient Regem Ferdinandum bene armatum & munitum in castris suis valde copiosis: quod autem moram aliquam traxerim, eo feci ut melius cuncta circumiens explorarem, & explorata referrem certius. Quid ergo, inquit Abenhuc, suades? Cui D. Laurentius: Non convenit mihi consilium dare Celsitudini tuæ, sed ipsi omnibus viribus meis servire & mandata exequi. His auditis quievit nocte illa Abenhuc, [& in auxilium R. Valentini progressus,] sequenti die consilium initurus. Tunc autem advenerunt legati Regis Valentiæ significantes quod Jacobus Aragoniæ Rex, cum omnibus copiis suis imminebat Valentinæ civitati, contra quem ut auxilio sibi veniret Abenhuc etiam atque etiam rogabat. Ille vero lectis litteris, in consilium advocans Satrapas Mauros, interque eos D. Laurentium, exquisivit eorum sententiam super postulatis Valentini Regis; quorum omnium mens una fuit, videlicet, quod cum Christiani jam tenerent suburbium Axarquiæ, ipsa vero civitas diu resistere eisdem posset, satius esset succurrere quantocius periclitanti Valentino Regi: quo facto satis tempori veniretur ad succursum Cordubæ, postquam interim copiæ Ferdinandi Regis (ut fieri assolet) magna ex parte diffluxissent.

[53] Hoc consilium cum Regi Abenhuc placuisset, instructis mox copiis progressus est Almeriam, ubi habebat naves quasdam, ad custodiam Valentini portus servituras. Almeriæ porro cum esset Rex Abenhuc, Maurus quidam ipsi perquam carus invitavit eum, ac

probe potum suffocavit in piscina sua: mox autem atque innotuit militibus mors Domini sui, dissoluti sunt & singuli ad sua reversi. Laurentius vero, assumptis secum Christianis omnibus, [perfide occiditur ab amico Mauro.] transiit ad Regem Ferdinandum, qui eum gratanter excepit pro tam insigni servitio sibi præstito. Ex hoc vero tempore dominium Maurorum eorum qui portus obtinebant, multifariam divisum est, eo quod nollent Regem qui simul omnibus imperaret, sicut factum eatenus: & Regem Ferdinandum Deus infinita sua misericordia liberavit a discrimine tali, de medio tollens Regem barbarum, qui exaltationi fidei sanctæ ejusque restaurationi per Ferdinandum curandæ potuisset obsistere: eademque via Jacobo Aragonum Regi expeditam reddidit victoriam de Valentinis Mauris, quorum civitatem intercepit, sicut narrat Historia.

[54] Interim Ferdinandi Cordubam obsidentis copiæ augebantur quotidie, multis ex utroque regno Nobilibus, [Auctus interim copiis Ferdinandus,] & Communitatum plurium delectis eodem accedentibus. Tum vero arctius cœpit obsideri civitas & in majores angustias cogi Mauri, audientes extinctum esse Regem Abenhuc, Principatumque multifarie divisum, & novis identidem viribus auctum Ferdinandum. Quare cum animadverterent, non destiturum eum ab incepto opere prius quam id ab finem perduxisset; se vero plurimum fatigatos fame, consumptis fere victualibus omnibus, & undique pressos; petierunt pacisci de conditionibus tradendæ urbis. Conditio autem non alia eis data est, quam ut vita personisque salvis egrederentur quo vellent, urbem cum rebus suis omnibus victori dimitterent. Ita civitas, ex præcipuis Andaluziæ una, [urbem deditione capit,] tradita est in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, atque a Mahumeticis spurcitiis evacuata. Rex autem Ferdinandus jussit continuo Crucem in summa turri collocari, unde execrabilis Mahometi nomen invocari

solebat: & cœperunt Christiani magno cum gaudio laudare Deum adjutorem suum, atque exaltare sanctam ejus fidem. Sua quoque insignia juxta Crucem collocari mandavit Rex, & Episcopos cum universo Clero in exultatione vocum Te Deum laudamus decantare, sic ut ab omnibus Christianis exaudirentur; qui similiter præ devotione lacrymantes dabant laudes Deo.

[55] Et tunc venerabilis Joannes Oxomensis Episcopus, Regalis aulæ Cancellarius, cum Gundisalvo Conchensi, Dominico Beatiensi, Adamo Placentinensi, Sancio Cauriensi Episcopis, Mezquitam ingressus est Cordubensem, [Mezquitam expiat dedicatque,] quæ cunctas Mezquitas Arabum ornatu & magnitudine superabat. Et quia venerabilis Joannes, de quo diximus, Roderici Toletani Primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud Sedem Apostolicam morabatur, eliminata spurcitie Mahometi & aqua lustrationis perfusa, in ecclesiam commutavit, & in honore Beatæ Virginis erexit altare, & Missam solenniter celebravit. Et sermonem exhortationis divinæ proponens, secundum sapientiam sibi datam & gratiam suis labiis instillatam, diffudit eum in cordibus auditorum; adeo ut pœnitentiali gaudio recreati, contriti cordis sacrificia & labiorum vitulos immolarent: & Rex Ferdinandus novæ Ecclesiæ dotem obtulit competentem. Postea consecrato ibi Episcopo Magistro Lupo, Rodericus Primas & Pontifex Toletanus aliquos reditus privilegio confirmavit, & Lucenas insuper dedit ei. Et tanta est urbis illius abundantia, amœnitas & ubertas, quod audito præconio tantæ urbis, ex omnibus Hispaniæ partibus habitatores & futuri incolæ, relictis natalibus sedibus, quasi ad regales nuptias cucurrerunt: & sic incolis continuo est repleta, [S. Iacobo ablatas campanas restituit.] quod domus habitatoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobrium populi Christiani, campanæ S. Jacobi, quas Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam, dependerent functæ

officio lampadum; Rex Ferdinandus easdem campanas fecit ad ecclesiam S. Jacobi reportari: & ecclesiæ S. Jacobi restitutæ sunt: ubi cum ceteris cymbalis bene sonantibus, peregrinorum devotio laudat Deum in Sanctis suis.

## ANNOTATA.

Hispanice Montero, quæ vox licet significet Venatorem: hic sumitur pro Milite prætoriano, sive Custode regii corporis. Hæc autem Custodia apud Castellæ Reges deputata erat solis Nobilibus quibusdam, Spinosa oriundis, estque hodiedum inter Regias custodias præcipua, de quibus D. Petrus dela Escalera y Guevan etiam librum scripsit, cui titulus delos Monteros de Espinosa.

In vulgari Alteza: & hic titulus sufficiebat quando composita est Chronica, nec eum judicavit uspiam mutandum, qui ante 120 annos eamdem curavit imprimendam, licet tunc Majestas daretur Regi: quod ideo solum noto, ut appareat quam fidelis editio hæc sit, quamque ab originali mutatum nihil, quod intelligi eo tempore poterat, licet modus loquendi tunc alius esset.

[Rex Valentinus Christianus factus.] Zahenum appellant historici, qui pulso Zeyt Abuzeyt, propter suspicionem meditati ad Christianam legem transitus, Regnum istud occuparat an. 1229, Barbaro ad Aragonium confugiente eique se confœderante, quin & baptismum suscipiente: qui tandem etiam an. 1236 Cæsaraugustæ dicitur fixisse sedem, atque uxore Christiano ritu ducta filiaque suscepta, posteritatem reliquisse de Arenos a toparchia nuncupatam.

Mariana, libro 12 captam Valentiam ab Aragoniis ait 28 Septembris an. 1238, post insignem victoriam de Mauris

per eosdem relatam anno præcedente mense Augusto. Vtinam vero liceret videre Historiam Jacobi Regis hic allegatam, & intelligere quam non multo post ejus mortem scripta sit: obiit enim Iacobus anno. 1276, annis 8 ante Alfonsum Regem Castellæ, auctorem Chronicæ Generalis.

Cœpit Corduba gravius coarctari: tandem affecta pugnis, & inedia victa, redditur & invita; & vitæ tantummodo conservati inclusi Arabes exierunt, & in festo Apostolorum Petri & Pauli a sordibus Mahometi patricia civitas expurgatur; sed Rex in turri majori, ubi solebat nomen perfidi invocari, præcepit lignum Crucis vivificæ exaltari: & cœperunt omnes cum gaudio & lacrymis, Deus adjuva, conclamare, & subsequenter Regale vexillum juxta crucem Dominicam collocare. Et cœpit in justorum tabernaculis gaudii & lætitiæ vox audiri, Clero cum Pontificibus acclamante, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Hactenus verba ipsiusmet Roderici. Richardus a S. Germano, hoc tempore Chronicon suum Casini scribens, ita habet: Mense junio in Vigilia Apostolorum capta est Corduba, nobilissima Saracenorum civitas (qua præter Romam, Constantinopolim, & Hispalim nulla major in orbe dicitur) a Ferrando, Christianissimo Rege Toleti & Castellæ.

Addit Chronica: Jussit insuper Rex ubique promulgari, omnibus Cordubam transferre se volentibus assignandum habitationis locum; adeoque multos ex omni Hispania accurrisse, ut novis incolis ædes suppellectiliaque præbenda deessent.

## CAPUT X.
## Ferdinandi jam vidui cum Ioanna Pontivensi matrimonium: cura confiniis tuendis & muniendis impensa.

[56] Stabilita igitur incolis & bellatoribus civitate, Rex Ferdinandus Toletum ad Reginam nobilem est reversus; [Rex Toletum regressus ad matrem,] quæ pari victoria jucundata (utpote quæ consilio & subsidio, licet absens, omnia procurarat) gratias cum lacrymis egit Deo, quod antiqua dignitas, ignavia Principum liturata, sui solertia & studio filii fuit Hispaniæ restituta. Hæc enim Regina nobilis Berengaria sic filium in bonis operibus enutrivit, quod [numquam dimisit] bona studia, quæ Regina nobilis, nullius virtutis oblita, nullius charismatis expers, ut lac mellifluum gratiis circumfusum, cordi ejus influere non cessavit, nec umquam ab ubere pleno virtutibus ablactavit. Et licet vir factus, in ætate roboris [sit] confirmatus, mater ejus numquam cessavit nec cessat, quæ Deo & hominibus sunt accepta studio vigili suadere: quia nec unquam feminea, sed semper magnificentiæ opera persuasit. Hæc enim Regina nobilis, tanto studio conservavit, & adeo dilatavit recepta charismata gratiarum, [laudatissimam matronam;] ut omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis professio, omnis natio, omnis lingua affectum sentiat cum effectu; & virtutum fasciculo non partito, omnibus misericordiæ opera compartitur; & paternorum operum provida executrix, plus invenitur regni & rerum prodiga quam virtutum. Quam merito nostra tempora admirantur, cui numquam similem nec moderna nec patrum nostrorum tempora habuerunt: pro qua Dominum exoremus, ut eam dignetur diutius conservare & sibi profutura concedat, & bonis operibus abundare, donec felicem spiritum suo restituat Redemptori a.

[57] Et ne Regis pudicitia alienis commerciis læderetur, Regina nobilis mater sua Domicellam nobilem, [anno 1237 ducit Ioannam Francicam;] generosam, proneptem Regis Francorum Illustrissimi Ludovici, filiam Simonis Comitis de Pontino & Mariæ illustris Comitissæ ejusdem, Joannam nomine, procuravit in conjugem sibi dari: [que] Æra

MCCLXXV Burgis adveniens, more regali curia & nuptiis celebratis, ad Reginæ assumitur dignitatem. Hæc vero Regina pulchritudine, præstantia, & modestia sic floruit, ut in conspectu viri virtutibus gratiosa, coram Deo & hominibus sit accepta. Et suscepit ex ea filium, qui dicitur Ferdinandus; & filiam parvulam, quæ a proavia Alienor est vocata, & alium parvulum Ludovicum. Verum Rex Ferdinandus, cum filiis suis Alfonso & Ferdinando, qui tunc in flore adolescentiæ lætabantur, Cordubam est reversus: & inde adventu suo multa castra Saracenorum, quæ Christianorum incursibus & intestinis cædibus longo tempore tabescebant, volentes colere pacifice terras suas, [quædam oppida Mauris eripit.] supradictis interpositis se Regis Dominio tradiderunt. Tunc datæ sunt ei civitates & castra, quorum præsidia Christianis ut diximus investivit: & ab Arabibus tributa suscepit; & eorum nomina notantur, Eciga, Almodovar, Luc, Luxena, Stepa, Sitefilla d & multa alia, quorum nomina longius esset enumerare. Atque hactenus Historiam suam perduxit Rodericus Archiepiscopus Toletanus, finem eidem ponens per hæc verba. Hoc opusculum, ut scivi & potui, consummavi [anno Incarnationis Domini MCCXLIII], Æra MCCLXXXI, anno XXVI regni Regis Ferdinandi, quinta Feria, pridie Kalendas Aprilis, anno Pontificatus mei XXXIII, Sede Apostolica adhuc vacante anno I, mensibus VIII, diebus X, Gregorio Papa IX viam universæ carnis ingresso. Ut autem tam nobilis Regis facinora non hæreant imperfecta, compilationis hujusce Auctor exhinc eamdem Historiam pertexuit, ut sequitur.

[58] [Finitam hic a Roderico Archiep. historiam prosequens auctor,] Solent ii qui cœptam ab alio narrationem prosequuntur, supplere siquid ab auctore priore omissum videant, memoratu dignum. Cum igitur Archiepiscopus Rodericus, relata Regis profectione ad confinia, finiat nominando loca quæ eidem in Castellam revertenti se submisere, neque explicet illius profectionis

causam, hinc resumendum argumentum censeo. * Dicit ergo Historia, quod Rex, post consummatum suum cum Regina Joanna matrimonium, regnum suum perlustrans, Toletum venerit; ibique intellexerit, civitatem Cordubensem aliaque recens acquisita loca in confiniis, magna annonæ penuria laborare ac premi. Quare vehementer tristatus, Cordubam misit viginti quinque millia Maravedisiorum in auro, totidemque per alia loca munitiora distribuenda, cum multa annona, pro numero hominum in unoquoque loco commorantium; atque hoc facto discessit Toleto Vallisoletum, ubi diebus aliquot mansit, animum relaxans cum matre & uxore plurimum dilecta. [addit quod laborantibus inopia confiniis,] Hic vero iterum ei nuntiatur in hebdomada Dominicæ Palmarum, Cordubam & cetera loca gravi fame laborare: statimque regressus Toletum aperuit thesauros suos, indeque quod necessarium videbatur promens Alvaro Perez tradidit, & ipsi cunctos obedire jussit, tamquam sibi. Quod is perquam bene executus, in nullo defuit personæ & potestati sibi commissæ, omniumque amorem & æstimationem sibi conciliavit. * Cunctis autem recte dispositis, atque excursionibus aliquot factis, revertit ad Regem, relinquens apud Martos, cujus arcem tenebat beneficio Regio, Comitissam uxorem suam, cum nepote Tello & quadraginta quinque Equitibus sibi subditis; invenitque Dominum suum Toleti, intentum apparando commeatui annonario ad tuitionem confiniorum.

[59] Interim Benalhamar Rex Argonæ, [& Martana Arce absente Alvaro Comite] sic enim (quia inde erat oriundus) principio regni sui nominabatur, postea Rex Granatæ dictus; contra prædictam arcem de Martos magna cum multitudine Maurorum venit, eamque obsidens oppugnare disposuit; parumque abfuit quin eam caperet. Quando enim illuc appulit, omnino vir nullus in arce erat, Tello cum suis quadraginta quinque Equitibus in aliquam contra Mauros excursionem profecto; & locus necdum tam bene

munitus erat, atque est modo. Comitissa autem obsideri se videns, puellis & mulieribus mandavit, ut capillitio in modum virilem composito arma sumerent, cum iisque inter pinnas murorum comparerent conglomeratæ: modum etiam invenit, quo per emissum nuntium admoneret D. Tellum, de iis quæ ad Martos agebantur. Accurrit mox cum suis Tellus; sed viso Maurorum numero, & quomodo cœpissent arcem quatere, haerebat anceps consilii; hinc pudore confusus, quod Dominam turbamque muliebrem tanto periculo expositam videret, per suam improvidam temeritatem; inde impossibile existimans loco succurrere. Erat in numero Equitum Tellum secutorum Didacus Perez de Vargas, [ab ejus uxore mirabiliter servata,] is cui diximus Maxucæ cognomen, a nobili ad Xerez oppidum successu, adhæsisse. Hic succursum tentandum vel per medios Mauros suasit sociis, oratione tam efficaci ut persuaserit. Quare calcaria subdentes equis invehuntur in Mauros, nonnullisque eorum generosa morte defunctis, alii pro majori parte penetraverunt ad rupem: & eo suo facto ita consternaverunt barbarum, ut existimans nequaquam id ausuros fuisse, nisi certos quod locum possent tueri, inde discesserit; atque ita soluta obsidio Martana est, & Comitissa periculo liberata.

[60] Dies aliquot post hæc transierant, & Rex Ferdinandus Ayllone erat, quando sub noctem a confiniis advenit D. Alvarus Perez, contulitque cum Rege de rebus bellicis, atque obtinuit promptum expeditumque subsidium pecuniarium & annonarium, pro urbe Cordubensi totisque confiniis, [mortuo deinde ipso Alvaro,] quibus utrumque vehementer necessarium erat: deinde vero confestim rediit, tum quia mandatum Regis urgebat, tum quia res ipsa id exigebat. Licet enim, ex eo tempore quo capta est civitas, ibi pro Rege manebat Tellus Alfonsus, Alvaro tamen commissa erat summa potestas, cum titulo Vice-regis omnium Confiniorum istorum. Ceterum a Rege digressus, ubi Orgaz pervenit, graviter infirmatus, ibidem

defunctus est, & sepultura tam honorifica donatus, ac si Rex ipse fuisset. Interim Ferdinando Toleti existenti allatus est nuntius de obitu D. Didaci Lopez de Haro, quod sane perquam dolenter ille tulit: erat enim ex nobilioribus & fidelioribus Proceribus regni, multamque in eo fiduciam collocatam Rex habebat. Superveniente autem altero quoque nuntio de obitu Alvari Perez, geminatus est dolor, quia defectu personæ tam necessariæ ad res bellicas, quarum scientissimus erat, periclitabatur quidquid conquisitum fuerat: ideoque oportuit ipsummet confestim proficisci Burgos atque inde Cordubam. Ita primum illuc rediit Ferdinandus ex quo capta urbs fuerat, propter prædictam D. Alvari mortem. Veniens autem Cordubam Ferdinandus, eidem communiendæ impendit tres menses, quibus ibi substitit; [Rex Cordubam revertit,] nisi quod aliquoties, optimo cum successu; excurrit in Mauros, eisque loca quædam ademit. Interim multos illuc habitatores induxit, optime iis prospiciens de fundis hereditariis Regio beneficio tenendis, liberalis tamen maxime erga eos, qui causa obtinendæ civitatis fuerant, scilicet erga Dominicum Muñoz Adalidem, & socios ejus in capiendo suburbio Axarquiæ, unde initium victoria habuit.

[61] [& plura loca capit,] Eodem tempore Rex etiam cepit Regem quemdam Maurum, qui trans mare venerat cum spe occupandi Andaluziam. Similiter obtinuit Rex, partim vi, partim conditionibus pactis, Ecigam, Estepam, Almodavar, Siete-villam, quorum Rodericus Archiepiscopus meminit, Historiam suam finiens: alia vero loca quæ nominare prætermisit, appellantur Santelia, Moratilia, Hornachulos, Mirabel, Fuente-Romiel, Zafra, Ynogon, Rubefella, Montorum, Aguilar, Bennaexit, Zambra, Ossuna, Cazalia, Marchena, Zaheros, Curet, Luque, Porcuna Corte, Moron, præter alia ignobiliora. Causa autem cur Moron, oppidum tam frequens populo, tamque munitum, adeo cito venerit in potestatem; fuit

Nobilis quidam, nepos Laurentii Xuarez, dictus Meledon Rodriguez Gallinatus: qui non minus expertus belli quam generosus, cum turrim quamdam in vineis positam, nomine Magazamaram, [quæ Christianus Eques excursionibus crebris vexarat.] non nisi quarta leucæ parte Morono distantem, occupasset; ter quotidie excurrebat ad oppidum prædabundus: eoque tantum sui metum Mauris incussit, ut nomen plorantibus pueris matres objicerent, & ita facerent conticescere, dicentes, Tace, quia Meledon venit. Cum ergo nullum finem faceret Moronenses vexandi, nec quidquam securum eis extra muros permitteret, elegerunt ipsi tandem se Regi tradere, sicut fecerunt, se suasque facultates salvas pacti. Rex porro loca sic conquisita ut plurimum distribuit inter Ordines militares, aut eorum fructus applicavit Ecclesiis.

## ANNOTATA.

Ita scilicet præoccupavit viventis Berengariæ laudes Toletanus, tam grandi jam senio vir, [Berengaria ipsa filium lactavit,] quod ipsam omnino crederet diutius victuram, quam ut mortuam laudare posset, sicut fecit infra num. 136 auctor Chronicæ. Non est autem otiose pertranseunda metaphora, nec unquam ab ubere pleno virtutibus ablactavit: videtur enim ea supponere, quod ipsa Berengaria filium infantem propriis lactavit uberibus. Ita certe intellexit auctor Hispanicæ versionis antiquus apud Pinedam in Memoriali, cum scripsit, con tettas llenas de virtud le dio su leche, id est, cum uberibus virtutum plenis lac suum ei dedit. Historia vero Generalis, ab Alfonso Rege nepote curata, part. 4 cap. 11 ait, quod Berengaria filio dedit suum lac, eumque suavissime educavit. Idem fecisse Sororem ejus Blancam in Francia, erga suum Ludovicum, volunt recentiores aliqui: sed ex pia verique simillima præsumptione potius quam auctoritate. Est sane inter Reginas rara ea laus, & in inferioris ordinis matronis adeo frequens non est quam

esse deberet: nec enim tam generoso animo omnes sunt, quam Augustißimi nunc Imperatoris Leopoldi mater Eleonora Mantuana, quæ numquam persuaderi voluit, ut quos perpererat liberos non etiam ipsamet lactaret. [sicut & Blanca suum S. Ludovicum.] Porro idem Archiepiscopus Toletanus eamdem Berengariam etiam ante læudarat lib. 7 cap. 36, agens de sepultura Ferdinandi fratris, quam curatam ait ab excellentissima sua sorore Berengaria Regina, ad quam postea regnum Castellæ successione pervenit, impendente liberaliter & decenter officia funeris & honoris, & gemitus doloris: ubi virtutum ejus plenitudo sic claruit, ut ejus prudentia devoti sexus excederet pietatem, & eleemosynarum largitio Principum largitates: & tam pudica modestia inconsolabili luctui procabatur, ut exinde fameȩ dulcorata suavitas, in augmentum cresceret & dulcorem. Religionum, & pauperum, & quorum titulos paupertas incrustabat, toto tempore vitæ suæ, subventrix extitit & levatrix: præter opera magnifica, quæ regnante suo filio magnifice claruerunt.

Joanna, Pontivi seu Pontini (utrumque enim reperitur) & Monstrolii Comitissa, aviam maternam habuit Alisiam Sororem Philippi, adeoque magnam amitam S. Ludovici, [Ioannæ Reginæ genus,] sic ut hic & Joannæ mater Maria, parentum suorum heres unica, essent subgermani. Joannæ autem pater Simon de Dommartin nominabatur, frater Reginaldi Comitis de Dommartin: & avus maternus vocabatur Willelmus. Toletanus lib. 7 cap. 7 docet, prænominatam Alisiam (quam ipse Adeloidem vocat) filiam fuisse Elisabethæ, natæ ex Alfonso VIII, Imperatore vulgo dicto, avo utriusque Alfonsi Castellani & Legionensis; eo qui post vitrici sui mortem subacto ejus fratre Ranimiro, cum hoc rediit in concordiam tali lege, ut Rex Aragonum loca omnia citra Iberum teneret in feudo a Rege Hispaniarum, & fieret ei in vasallum: & post hæc rediens Legionem imposuit sibi Imperii diadema, & vocatus fuit deinde Imperator. Porro Ignatius Ioseph a

Iesu Maria, in Historia Abbavillanæ lib. 1 cap. 28 graviter hallucinatus est, [quando Sancto nupta?] quando matrimonium hoc adscripsit anno 1250, & in eo vixisse Ioannam annis tantum quatuor aut quinque. Nam sanctus Rex obiit anno 1252, & secundæ huic uxori junctus fuit anno 1237: potuisset ergo Ignatius, si Hispanos auctores consuluisset, scribere annos quatuordecim aut quindecim.

Hæc mortuo patre reversa est cum matre in Franciam; ubi nupsit Edoardo Regi Angliæ Mater vero anno 1255, [quando mortua ipsa, & filia ejus?] tamquam Regina Castellæ & Legionis, Pontivi & Monstrolii Comitissa, fecit insignem donationem Decano & Canonicis S. Vulfranni; & mortua anno 1278, sepulta est juxta propylæum ecclesiæ de Valloriis Ordinis Cisterciensis. Quomodo autem puniti fuerint, qui sub spe ælicujus thesauri reperiendi tumbam ejus aperuerunt, narrat prædictus Ignatius loco jam citato. Matris & filiæ meminit Chronicon Triveti his verbis: Obiit anno MCCLXXVIII Regina Castellæ, mater Reginæ Angliæ; ad quam jure hereditario post mortem matris devolutus est Pontivi Comitatus. Hujus porro Alienoræ fratrem seniorem Ferdinandum (sic nominatum pro altero quem Beatrix pepererat, jam extincto, ut vel hinc patet) juvenem omnino obiisse ait Ignatius: idemque præsumere licet de Ludovico, cujus nulla memoria ulterius reperitur.

Obierat Gregorius IX 21 Augusti 1241, post quem electus quidem fuerat Celestinus IV, sed & ipse 19 Novembris sequentis obiens Sedem vacuam reliquerat: vacavit autem usque ad 29 Iunii anni hic signati 1243, quando coronatus est Innocentius IV. Brevem vero Caelestini Pontificatum pro nullo habens Rodericus, ejus qualecumque spatium Sedi vacanti adnumeravit. Ceterum annos Incarnationis Domini, [ ] inclusimus. Cum enim Auctor nulla suorum operum parte utatur nota Æræ vulgaris; vehementer dubito utrum ea verba vere sint Roderici; nisi hoc forte loco ea addere voluerit propter

externos, suam historiam lecturos, quibus jam ubique in usu erat vulgaris Æræ numerus; quamvis Hispani, receptorum semel verborum æque ac morum retinentißimi, omnino ultimi eum receperint ad historiam usumque civilem, saltem cum Latine scribebant: nam vulgari lingua scribentes, uti Elvira illa in Comm. prævio num. 30 eam subinde neglexisse videntur; & hæc Chronica Ferdinandæa, quam Latine reddimus, annos numerat ab Incarnatione.

[Marevedisii aurei quid?] Ita superius n. 34 scriptum quoque erat, ubi agebatur de annua pensione Sororibus Rege addicta, & ubi Rodericus nullā certam summā expresserat. Chronica autem designat triginta millia maravedisiorum, sub intellige aureorum: hoc enim additur num. 34, ubi agitur de pretio quo Rex sanctus a Crucesignato quodam Roderico Didaci de Camberiis posseßiones ejus emit; & ubi Toletanus expresserat quatuordecim millia aureorum, Chronica habet Maravedisiorum aureorum. Non ergo hic intelligas Maravedisios seu Marobotinos vulgares, quorum trecenti septuaginta quinque, uno Ducato sive Aureo; triginta quatuor, uno Regali continentur, in hodierno Mercatorum Hispanorum & Collybistarum calculo.

Intelligo Hebdomadem sanctam seu majorem, quæ a Dominica Palmarum initium sumit: sic enim etiam dicimus Hebdomadem Paschæ: Pascha autem anno 1243 cadebat in 12 Aprilis.

## CAPUT XI.
## Rebus domi compositis Sanctus in fidem suam suscipit Regem Murciæ, & Argonam occupat.

[62] Post quam Rex Ferdinandus munitionibus omnibus rite prospexisset, trium prædictorum mensium spatio, [Rex Toletum regressus,] Corduba Toletum revertit, ubi

uxor sua & mater erant; quas deinde, expeditis ibi negotiis, assumpsit & secum Burgos duxit. * Hic Regi cum Didaco Lopez, Biscayæ Domino, subnata discordia est, propter quam eum sua spoliavit ditione. Sed Didacus statim se recipiens, non modo sententiæ Regiæ se opposuit, verum etiam in ipsam Castellam incurrens, cœpit damna quanta poterat irrogare subditis Ferdinandi. Qui coërciturus audaciam hominis, inter altissimos duos montes se continentis, eduxit contra eum copias. Didaco autem non auso expectare venientem, destruxit munitiones quibus præcipue fidebat, ac nominatim a Briones; recedensque filium suum Alfonsum reliquit in confiniis Biscayæ, eadem defensurum. [Biscayæ Dominum rebellantem semel,] Mox autem ad hunc accedens Didacus, gratiam apud eum invenit: qui secum assumptum ad patrem duxit, ipsique reconciliavit. Inde simul abierunt Burgos, ac demum Vallisoletum. Paucis diebus post necesse habuit Rex Olmedum proficisci, quando Didacus Lopez iterum in Biscayam abivit: quod ubi Rex inaudiit suspectum habuit, eumque sequi instituit, ne denuo damni quidquam crearet. Postquam autem in sua se recepit Didacus, [iterumque compescit,] copias aliquas Rex colligens, iterum tradidit eas filio Alfonso ad tuendos Biscayæ fines, rectaque contendit Valmazedam, Infantem præmittens. Hoc intellecto, saniori consilio usus Didacus, ultro ad Regem venit, ejusque se commisit potestati, sane perquam feliciter; humaniter namque exceptum Rex Burgos deduxit, ibique, intercedentibus pro eo Reginis, non solum eidem ablata restituit, sed etiam Alcaraz condonavit.

[63] Rebus sic pacatis, Ferdinandus in morbum Burgis incidit; & finitæ induciæ sunt, quas cum Granatensi Rege pactas habebat. Cum autem per mortem D. Alvari Perez confinia essent custode destituta, [Murcia missi ad Regem Legati] missus eo est Infans Alfonsus, omni necessario apparatu instructus, una cum D. Roderico

Gonzales Giron. Qui Toletum perveniens obvios ibi habuit legatos Abenhucdi Murciæ Regis, tendentes ad Regem Ferdinandum, ut ei pro Domino suo ac toto regno Murciæ fidelitatem jurarent, sub conditionibus quibusdam quas ferebant accurate descriptas. Visis iis noluit longius ire Alfonsus, sed ipsemet patris sui nomine conditiones acceptavit; Murciamque regressos subsecutus est. Venienti autem in Alcaraz obviam processerunt iidem legati, attuleruntque confirmationem pactorum, & Infantem invitarunt ad ineundam regni possessionem. Comitabatur tunc Alfonsum Pelagius Correa, Magister Ordinis de Ucles dicti, magnoque ei adjumento fuit, [Alfonso Infanti urbem suam tradunt;] tum recte consulendo ea quæ ad negotium conducebant, tum militem annonamque sumptibus suis subministrando, ubi opus esse videbatur. Hoc ergo comitante Infans Murciam intravit, obtinuitque arcem cum toto dominio regiisque redditibus, salvo eo dumtaxat quod inde debebatur ipsi Abenhucdi, toparchisque in Crevilien, Alicante, Delche, Orihuela, Alhama, Aladeo, Ricote, Cieka, aliisque dynastis, jus ad dictorum redituum partem habentibus. Atque ita D. Infans suscepit de manibus Maurorum possessionem Regni nomine patris sui, exceptis dumtaxat Lorca, Cartagena e & Mula: quibus parum profuit quod in pacta ab aliis sancita noluerint consentire: si quidem brevi ad ea vi compulsi sunt, D. Alfonso cum Magistro Pelagio regnum universum perlustrante, munitiones reficiente, Mauros pacificante, rebellium villas pro merito tractante sicut postea suo ordine referetur.

[64] Restitutus interim ab infirmitate Ferdinandus, digressus est Burgis ad visitandum regnum suum justitiamque administrandam: [quem eodem cum annona regressum] quod valde necessarium fuit, præsertim Palentiæ, ubi multorum querelas audivit, & malefactores plurimos districte punivit. Ibi existenti advenerunt Corduba & Murcia nuntii, annonam postulantes, quia

magna istic fame laborabatur. Auditis illis, statim Rex Toletum se contulit, ibique constituit Murciam deportandum magnum commeatum victualium, per loca noviter acquisita distribuendum. Venerat ad eum excipiendum Alfonsus, sed prius quam Murciam reverteretur, abiit cum patre suo Burgos: ubi per manus D. Joannis Cancellarii velum sacrum impositum fuit D. Berengariæ, sorori Alfonsi: qui peracta ceremonia festinavit, cum præparato sibi commeatu unde venerat regredi, comitante eum Magistro Pelagio, & apud Regem manente D. Ruyzio Gonzalez. [secutus pater Ferdinandus,] Rex autem ipse, quam citissime potuit, curavit ad confinia proficisci, secum ducens D. Joannam uxorem suam, & D. Rodericum filium Comitissæ f, nec non quinquaginta circiter equites, peditum vero numerum haud multo majorem: atque ita non sine periculo transiverunt portum de Muladar. Etenim grandis ibi metus erat Regis Granatensis, superbi ac tumidi propter victoriam, paulo ante relatam contra Dominum Alfonsum, filium Regis Legionensis & fratrem Regis Ferdinandi: quo in prælio occubuerat D. Isidorus, Eques generosus & Commendator in castro Martos, utpote Ordini Calatravæ donato a Rege. Ibidem etiam cæsi fuerunt alii plures Fratres Ordinis prædicti, & Martinus Ruyz de Argote, rebus in conquisitione Cordubensi gestis memorabilis; captus est autem Martinus Ruyz frater ejus. Ceteri autem ex Equitibus majoribus cæsi numerantur usque viginti, multaque gregariorum turba; & hoc successu elatus Rex Granatæ, valde formidabilis erat toti isti regioni.

[65] Transito eo quem diximus portu, venit Rex Ferdinandus in Andugar, moxque eodem post ipsum appulit frater ejus D. Alfonsus, [Argonam occapat:] cum D. Nonnio Gonzales aliisque, numero quidem non admodum multis, sed robore animoque præstantibus: qui simul omnes iverunt Argonam, demetendo fruges, hortos subruendo, oliveta scindendo, magnum ubique Mauris

damnum facientes. Inde proficiscentes versus Jaen, tantumdem fecerunt Alcaudetæ, unde Rex Nonnium Gonzales & D. Rodericum filium Comitissæ remisit Argonam, ut eam obsiderent oppugnarentque, cum majori parte eorum quos secum ipse habebat militum. Hi mandata facientes, brevi Mauros ad magnas redegerunt angustias; sequenti autem die mane cum reliquis supervenit Rex ipse. Quo cognito rebus suis diffisi Mauri, miserunt qui cum eo agerent de facienda deditione. Factum hoc die Mercurii: die autem Veneris tradiderunt oppidum, vacuum illud dimittentes, præter eos quos ibi manere Rex voluit: qui cum ibidem biduo mansisset, cunctis bene prospiciens quæ videbantur ad loci tuitionem necessaria, victor recessit. Eadem excursione obtinuit etiam Pegalhajar, Bexixar, [& alia loca non nulla,] & Escarenam k: indeque fratrem suum Alfonsum Granatam direxit, quidquid posset ferro ac flamma deleturum, jungens ei quos apud se habebat ex Ubeda, Baëza, atque Quesada delectos, nec non Sancium Martinez de Xodar, cum bono, licet non valde numeroso, peditatu. Cum his Granatensem regionem, qua plana erat, ingressus Alfonsus, stragem ut fuerat jussus fecit.

[66] Rex autem revertit in Andugar, sumptamque inde uxorem Reginam deduxit Cordubam; [vastat agrum Grænatiensem.] & mox festinato abiit Granatam versus, fratri præmisso se conjuncturus. Hic eo in tractu jam decimum diem agebat, nec absque periculo ; quia Rex Maurus tenebat urbem cum equitibus octingentis; nec tamen ideo dimiserat cœpta Alfonsus. Postquam autem Rex advenit, nihil integrum relictum est in hortis aut turribus usque ad portas ipsius urbis, cuncta pro arbitrio conculcantibus vastantibusque Christianis, per totos viginti dies, quibus ante Granatam Rex mansit. Contigit autem una dierum istarum, ut Mauri, tanta rerum suarum jactura irritati, eruptionem subitam in Christianos facerent, magna cum vociferatione. Sed immissis in eos

equitibus, ita erumpentes excepi Ferdinandus, ut cum multa clade fuerint coacti terga dare, insequentibus & cedentibus eos usque ad portas Christianis: neque posthac ausi sunt urbe egredi, tam duriter castigati.

## ANNOTATA.

Huic Pelagio Correæ tribuitur in Relatione Romana, quod de ordine sancti Regis, juxta oppidum de Segura Legionensis diœcesis, persequens Saracenos, & committens cum iis prælium; quia sol inclinabat, commendavit se gloriosissimæ Virgini ut sol sisteret, donec victoriam consequi posset: & sol miraculose stetit per notabile spatium: & quia dicta die, [Solem stitisse dicitur Correa,] sciens Rex quod prælium committendum esset, continuo Deum oravit, ut sibi concedere victoriam dignaretur contra infideles; ideo fuit successus hujusmodi miraculi orationibus sancti Regis, mediante ejus Generali, reputanus. Allegatur numerus 51 Summarii, in cujus margine dicitur, Miraculosus successus juxta oppidum de Segura Legionensis diœcesis, ubi corrigendus error interpretis, scribendumque, oppidum Seguræ Legionensis, sic dictæ, non quia in Legionensi diœcesi sit, sed quia pater Sancti Rex Legionensis ipsam cum multis vicinis terris, Maurorum ereptis potestati, tradidit ecclesiæ Compostellanæ, quæ hodieque terras illas poßidet, sub nomine Prioratus Legionensis. Æque male ibidem in contextu pro Segura nominatur Hispalis, [ad Seguram de Leon in Bœtica] leucis 15 dißita. Est autem Segura illa ad pedem Montis-Mauriani, vulgo Sierra de Morena dicti territorii Cordubensis. Rades de Andrada, in historiatrium Ordinum impressa an. 1609, lib. 1 cap .16 agit de dicto Magistro, creatumque ait anno 1242, ac sequenti anno profectum in expeditionem cum Infante Alfonso. Tum verbotenus fere describit omnia, quæ in hac Chronica de illo narrantur, sine ulla talis miraculi ad Hispalim facti mentione; ac denique narrat prælium, a Pelagio

commissum ad Sierram Morenam, ubi hodieque stet ecclesia, in memoriam prædicti miraculi ab eo constructa sit, vulgo dicta S. Maria de Tudia, quod traditio vulgi interpretatur sic abbreviate dici, pro, S. Maria de Ten tu dia, eo quod Magister solem sistens dixerit, Ten tu dia, id est, Siste dies. Eadem quæ jam ex Andrada diximus, magis confirmat Spinosa lib. 4 cap. 7, dum allegat antiquas Mss. memorias Ordinis, in quarum aliquibus id tribuatur nocturnæ Sancti Regis orationi; in aliis etiam addatur, quod idem Magister post victoriam, lancea percutiens rupem, elicuit, velut alter Moyses, fontem exercitui fesso ac sitibundo, qui hodieque fluens mirabilia multa operatur circa infirmos inde bibentes. [unde locus dictus, Ten tu dia,] Operæ pretium esset scire quam antiqua sint Mss. illa. Vixit autem Magister Pelagius & pugnavit cum Mauris usque ad annum 1275.

## PARERGON III.
## Sancti Regis erga Apostolicam Sedem observantia, præsertim in dissidio Gregorii IX Papæ & Friderici II Imperatoris: & inde vicissim repensi favores.

[67] Annum Imperii sui XIX agebat Fridericus Imperator, hujus nominis II, [Gliscente dissidio illo,] eoque suæ contra beneficentißimam matrem Romanam Ecclesiam contumaciæ excessus provexerat, ut cum alia omnia remedia ipsi sanando frustra tentata viderentur, summus tunc Pontifex Gregorius IX, necessarium duxerit, non tantum anathematis fulmine eamdem ferire, verum etiam Imperium ipsi abrogare, deque alio substituendo cogitare. Hunc in finem imploranda ei undequaque auxilia fuere Christianorum Principum, adversus potentißimum hostem, Romanæ Vibis cervicibus cum formidabili exercitu imminentem. Criminum enormitatem, quibus Pontificiam iram Fredericus meruit, paucis collecta vide apud Annalium Ecclesiasticorum continuatorem

Odericum Rainaldum; apud eumdem etiam reperturus, quomodo hoc in dißidio Ecclesiæ atque Imperii alii se gesserint, ad annum MCCXXXIX num. 38 & seqq. Hispaniæ autem Reges excusatos invenies, quod, licet eximie erga Romanam Ecclesiam affecti essent; continuis tamen Saracenorum bellis impliciti, studia sua non aliter explicare potuerint quam per epistolas, [sub exitum anni 1239,] quibus exinde natum testarentur dolorem, & paci componendæ operam mediationemque offerrent. Invenies etiam præcipuum in his fuisse Ferdinandum, affinitatis vinculo pridem Friderico adstrictum, at Matrem ejus, quorum litteras etiam profert Rainaldus, omnibus amoris & observantiæ notis insignes; quæ licet in Regesto Pontificio anni XIV extent; ipse tamen, nonnullis argumentis ductus, arbitratur eas ad annum prædictum pertinere. Argumentum certe non leve est, quod omnes inveniantur datæ mense Decembri; quodque Richardus de S. Germano in Chronico, ad tertium dumtaxat ab hoc annum deducto, adeoque tunc scripto (sicut extat post Tomum 3 Italiæ sacræ Vghelli) quod, inquam, Richardus iste narret, quomodo sequenti mox anno MCCXL, mense Aprilis, filius Regis Castiliæ ad Imperatorem apud Foggiam venit, Apuliæ Dauniæ oppidum, ubi is Colloquium-generale celebrabat. Etenim earumdem epistolarum una, [Ferdinandus filium Fredericum destinat ad Imperatorem,] iturum illuc Principem commendabat Pontifici, per eumdem Legatum, per quem & aliæ litteræ ferebantur: omnes autem ejusmodi sunt, quæ huic historiæ integre mereantur interseri. Imprimis certe huc facit ea, qua commendatur Infans Fredericus, sic utique in baptismo dictus in honorem consanguinei, simulque indicatur, quam non bona fide idem Imperator, egerit in retinendis sibi Beatricis Reginæ-hereditariis bonis, quorum proprietatem illa moriens videtur isti suo secundogenito legasse per testamentum, quando primogenito poterant regna paterna sufficere. Sic ergo in

istius filii sui favorem, cum insigni suæ erga Sedem Apostolicam observantiæ testificatione, scribit Rex pater.

[68] [pollicitum ei restitue e hereditaria matris bona:] Sanctissimo Patri ac Domino Gregorio, divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Ferdinandus, Dei gratia Rex Castellæ Toleti, Legionis, Galiciæ, & Cordubæ, cum debito famulatu pedum oscula beatorum. A Sanctitatis vestræ memoria non credimus excidisse, quod cum tempore dulcis memoriæ, Reginæ Beatricis, filiolæ vestræ, bona, quæ sibi jure successionis competebant, ab Imperatore, qui ea detinebat, pro Frederico filio nostro sæpe sæpius petissemus; quia ipse reddere recusabat, ad Paternitatem vestram recursum habuimus, vestrum super hoc consilium & auxilium implorantes. Ad quod, sicut patrem decet justitiæ & Jesu Christi Vicarium, solitæ benignitatis clementia respondistis, quod vestrum nobis non deesset consilium; promittentes nihilominus, quod faceretis nobis exhiberi justitiæ complementum. Verum cum idem Imperator, saniori ductus consilio, postmodum nobis sæpe significandum duxerit, quod bona petita paratus erat reddere; si eumdem Fredericum, quem mater etiam sua in extremis posita sub quadam obtestatione illuc destinandum jusserat, sibi mittere curaremus; nos, attendentes quod nocuit differre paratis, tum propter maternam hereditatem obtinendam, quam ad servitium Romanæ Ecclesiæ eum habere volumus; tum propter alias causas urgentissimas, [eumdemque Apostolicæ Sedi commendat;] quas venerabilis Abbas & religiosus vir dilectus noster W. Abbas S. Facundi Magnificentiæ vestræ plenius exprimet; de prudentum virorum consilio eumdem duximus destinandum; viva voce firmiter præcipientes eidem, & sub pœna paternæ gratiæ injungentes, quatenus, more progenitorum suorum Regum & Imperatorum Hispaniæ, honorem & exaltationem Ecclesiæ Romanæ procuret & diligat, & ei semper sit

obediens & devotus. Sane si idem Imperator, quod non credimus, eamdem hereditatem sibi reddere contradicat aut differat; Paternitati vestræ affectuosas preces porrigimus, petentes humiliter & devote, quatenus eum sub defensione vestra, cui eum committimus, protegentes, vestrum eidem dignemini impertiri auxilium & favorem. Datum Burgis IV die Decembris. Nescio quam diu cognatæ suæ filium apud se detinuerit Imperator: [ac recipit saltem an. 1245, spe frustratum.] vix tamen crediderim, illo in excommunicatione & inimicitia Ecclesiæ perseverante, ac tandem etiam sub annum MCCXLV, publica Concilii Lugdunensis sententia deposito, ut hoste communibus Christianorum armis exterminando; aut patrem permisisse, aut filium voluisse ulterius hærere in execrata illius aula. Sed neque quidquam eorum quæ debebat restituisse Imperatorem dixerim; cum nusquam legatur Infans Fredericus, titulum aliquem ex maternis in Alemannia ditionibus usurpasse (Ducem v. g. Sueviæ se scribendo) idemque inveniatur num. 175 obsidioni Hispalensi adfuisse cum fratribus, morientisque patris extremam benedictionem excepisse. Quod autem ad Imperatorem attinet, Pontificiis contra eum querelis, eadem die per eumdemque Legatum, sic respondit Rex Sanctus.

[69] Novit ille qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, quod sinceræ mentis desiderio, non minus devoto quam debito, cor nostrum ad honorem vestrum æstuat, & ad exaltationem aspirat: nimirum [ejus] quem constat in terris Vicarium Jesu Christi, & vices gerere veri Dei, incrementum, progenitorum nostrorum sequendo vestigia, & gloriam Sedis Apostolicæ quantum sufficimus affectantes, quæ cunctis per orbem fidelibus sacratissimum fidei pabulum abundanter erogat & sapienter ministrat: [Aliis litteris suam Gregorio observantiam testatus,] per quam nos & universi Christi fideles, tam Reges quam alii, cælestis spei propinari

nobis & credimus & desideramus augmentum: pro qua fide pugnamus & stamus adversus inimicos ejusdem, hæreses extirpando, & nos ceterorum inimicorum, qui errores suos armis contendunt defendere, insultibus & conflictibus, non absque gravi periculo, corporaliter opponendo. Hæc igitur & quam plurima alia duriora, quæ non duximus litteris committenda, tum quia longum esset & superfluum enarrare, tum etiam ne laudem propriam quærere videamur, pro Christi nomine dignum duximus sustinenda; ut funiculus hereditatis Domini dilatetur, & honor piæ matris Sedis Apostolicæ per ministerium nostrum, etsi non optatum vel debitum, saltem aliquantulum suscipiat incrementum. Nam si sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ nos semper dilexit & fovit in visceribus caritatis; & requisita, non solum propitiam, sed promptam se exhibuit circa promotionem nostram, specialium exuberantia gratiarum, quantumcumque sincere diligimus, [compatitur ejus afflictionibus,] mercedem non credimus nos habere: imo etiam modicum reputamus, si eidem in suis necessitatibus assistamus, & pro ea & personam & regna quibuscumque discriminibus exponamus. Sane multorum relatione didicimus, quod nobis postmodum Papalis littera demonstravit, Imperatorem in sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ eum curiose nutrivit & mirabiliter exaltavit, multipliciter deliquisse, & eam adeo ad iracundiam provocasse, quod opus fuit ut manu Domini tangeretur. Numquid pati potest pia mater, & non compatitur filius? Numquid dolet Sedes Apostolica, & exultare potest fidelis? Numquid turbato capite, membra vigere noscuntur? Attamen quia non obliviscitur misereri Deus, nec in ira misericordiam continebit; ex quo semel cœpimus loqui, loquemur parum ad Dominum, de dubiis negotiorum eventibus magis anxii, quam de facto Imperatoris, quem quantum cum Domino possumus multipliciter tenemur diligere; obtenta prius venia & concessa licentia, ut mansuetudo patris pœnitentem

reciperet filium, & Ecclesia suo non careret athleta, partes nostras interponere curaremus. Ad hoc autem competentius exequendum, [& Legatum suum mediatorem offert,] venerabilem ac dilectum W. Abbatem S. Facundi, virum circumspectæ providentiæ & honestum, de quo propter suæ prærogativam honestatis plene confidimus; quem, cum esset causa visitandi Romanam Ecclesiam in itinere constitutus, ad nos revocavimus; deliberatione habita, ad Vos propter hoc & alia duximus destinandum; ut securi de ejus honestate & industria, eumdem confidenter ad Imperatorem ex parte nostra, si expedire videritis, vel ad nos etiam remittatis, cum vestræ in omnibus & per omnia beneplacito voluntatis: ipse enim quod a Sanctitate vestra injunctum sibi fuerit, sicut novimus & sumus in pluribus jam experti, devote ac fideliter exequetur. Datum Burgis IV die Decembris.

[70] [cum grætæ acceptorum beneficiorum memoria:] Hactenus Rex Sanctus, in priori epistolæ suæ parte haud dubie respiciens ad eam Honorii Papæ III gratiam, quam in Commentario prævio num. 26 explicuimus, per ejus Breve, datum Laterani VI Id. Julii, Pontificatus anno secundo, Christi MCCXVIII, quæ declararat, parentum ejus divortium, ex mandato Sedis Apostoticæ celebratum, ipsi non debere obesse, quo minus rata ac firma maneat conceßio patris, ipsum recipientis in filium, adeoque & in legitimum successorem. Istam autem gratiam non præcesserat (uti videtur Odoricus Rainaldus æstimare) sed secuta fuerat (ut patet ex data, non tantum quoad diem mensis, sed etiam annum Pontificatus posteriori) secuta, inquam fuerat gratia alia, hoc Brevi expressa. Ferrando, Illustri Regi Castellæ. Ad impendendam circa Te & Regnum tuum curam & solicitudinem specialem, & ætatis tuæ consideratione inducimur, & præclaris inclitæ recordationis Alfonsi Regis Castellæ avi tui meritis provocamur. Tuæ igitur Serenitatis precibus benignum impertientes assensum, Personam tuam & Regnum ipsum

sub speciali Apostolicæ Sedis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripturæ pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XIV Kalend. Augusti (non ipsis Kalendis, uti legisse videtur Zuniga ad an. 1252 num.8) Pontificatus nostri anno tertio. Præter has, aliæ in eumdem sanctum Regem ac speciales gratiæ ab ipsomet Gregorio IX profectæ sunt, quarum distinctior notitia periit; confuse autem atque in genere eorumdem meminit Regina Mater, in Epistola quam eidem Legato perferendam dedit, dignam similiter hic transcribi. Sanctissimo Patri ac Domino Gregorio, [quam etiam testatur mater Bevengaria,] divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Berengaria, Dei gratia Regina Castellæ & Toleti, pedum oscula beatorum, cum reverentia filiali tam debita quam devota. Pro multiplici gratia, quam ex multa vestræ exuberantia bonitatis Ego & Filius meus a Sanctitate vestra tam sæpe recepimus, nec petita multoties sed oblata, dignum ducens ad gratiarum saltem actiones assurgere, condigne nequeo; dum erga Me & Meos vestram dignationem attendo, dum penso vestræ promptitudinem pietatis; quod quidem gratius mihi foret rebus efficere, quam verbis aut litteris declarare. Sed quia ad præsens quod volo non valeo, non propter aliquem cordis defectum aut rerum indigentiam mundanarum, sed expectando potius vestræ beneplacitum voluntatis; pro tot beneficiis grates interim reddo vestræ Magnitudini quantas possum; Majestatem vestram totis mentis affectibus implorando, ut juxta devotionis affectum, [optans gratitudinem reipsa monstrare,] quem Ego & Filius meus erga Vos semper habuimus & habemus, aliquid mihi dignetur innuere, quod vestræ voluntati sedeat, imo quidquid vestræ placuerit Sanctitati, per omnia & in omnibus exequendum. Hoc autem apud benignitatem vestram reticendum non credo, quod, quia vobis non scribo frequentius, non ex minori devotione provenit; sed propter verecundiam quam

contraxit sexus femineus a natura, & reverentiam quæ debetur Vicario Jesu Christi. Novit enim Dominus, quod dum mentis oculis Papalis claritatem intueor puritatis, mentis intuitum quasi quidam fulgor reverberat ad scribendi desiderium retardandum; & stupore comprehensa, quodammodo præsumptionem reputo attentare saltem vestri tangere fimbriam vestimenti. [& eodem internuntio utens.] Verumtamen quanto frequentius vestras litteras reciperem aut mandatum, tanto gratius foret mihi, & tanto plenius meæ satisfieret voluntati. Nunc autem grates Domino refero, quia opportunitatem habeo per venerabilem ac dilectum W. Abbatem S. Facundi, virum providum & discretum, qui alias erat ad vestram præsentiam accessurus, quædam quæ litteris commendare nolui secure ac fiducialiter declarandi, qui ea licentius vobis exponere, & voluntatem nostram latius poterit aperire. Datum Burgis v die Decembris.

[71] Respicere etiam Ferdinandus potuit, in agnoscendis Apostolicæ Sedis erga se beneficiis, ad ipsiusmet Gregorii IX, erga se indulgentiam, qua anno MCCXXXVII (teste ad istum annum Bzovio, num. 6) ei conceßit, ut in locis, [Indulserat ei Gregoriu: novarum ecclesiarum præsentationem,] quæ manibus Saracenorum eriperet in posterum, posset Rectores Ecclesiarum, prima dumtaxat vice, ad arbitrium suum electos, præsentare Episcopis; idque per litteras Viterbii datas XII kalendas Octobris. Quamquam, cum per id temporis regni illius Cancellarius Episcopus Oxomensis, ad Ecclesiam Legionensem postulatus fuisset, atque eam postulationem Ferdinandus a Sede Apostolica confirmari, eumque postulatum ad Cathedram Legionensem transferri oraret, Gregorius denegavit; quod videret Ecclesiam Oxomensem multum posse incommodari ex translationem postulati, qui vir maximi consilii & dexteritatis audiebat (Ioannes Tercerius hic fuit, supra num. 55 nominatus, ubi Mezquitam

Cordubensem dicitur expiasse) Excusavit autem factum Gregorius, litteris Ferdinando atque utriusque Ecclesiæ Collegio datis, Laterani 11 Non. Decembris. Causa negandi præcipua videtur fuisse, ædificium novæ Cathedralis, a Ioanne inchoatum; dicit enim Ægidius Davila, in Theatro illius Ecclesiæ, quod absoluta fabrica, & vacante per mortem D. Mauritii Episcopatu Burgensi anno MCCXLVII, [tardior licet ad permutationes probandas:] Innocentius IV Regi indulserit eumdem Ioannem illuc transferre; quo Cancellarius Regni ita esset personæ Regiæ propinquus, ut tamen Episcopus non elongaretur ab Ecclesia sua. Eodem anno, cum Infans Alfonsus optare se significasset, ut civitas Carthaginensis, quam de novo, per suum ministerium triumphante Dei dextera, eripuerat de manibus Paganorum, posset ad statum prosperitatis exurgere, si Pastorem desiderabilem providente Apostolica Sede sibi gauderet obvenisse; tum ipsi quod petebat annuit idem Pontifex, tum Regi Reginæque ipsius Ecclesiæ dotationem commendavit. Regi sancto scriptum Breve, hujus erat tenoris. Spiritu exultante percepimus, qualiter regnum Murciæ per divinæ virtutis auxilium dominio dilecti filii, [& ad suggestionem Alfonsi infantis] nobilis Alfonsi Primogeniti tui, fuerit subjugatum. De hac siquidem exultatione processit, quod cum dictus Primogenitus affectaret, ut civitas Carthaginensis, sita in Regno præfato, Cathedræ Pontificalis obtineret honorem; virum honorabilem, & Religionis celebris (Franciscanæ) professorem, ac scientia & honestate conspicuum, nec non in spiritualibus & temporalibus circumspectum, scilicet Fr. Petrum, Confessorem ipsius Primogeniti, Carthaginensi Ecclesiæ, Fratrum nostrorum communicato consilio, de speciali gratia providimus in Pastorem. Quia vero claritas tui nominis exigit, ut hujusmodi novis & divinis plantationibus occurrat; [ordinatum Petrum Carthaginen. Episcopum,] Serenitatem tuam omni qua possumus affectione rogamus, in remissionem tibi peccatorum injungentes;

**quatenus Ecclesiam ipsam beneficiorum tuorum largitate fœcundans, & præsidio desiderati favoris attollens, personam dicti Episcopi optatæ foveas benignitatis affectu; ita quod, ipso ad votum prosperante in commissi sibi cura regiminis, & eadem Ecclesia plenum obtinente vigorem, sub spiritualium & temporalium incrementis, tibi exinde, a clementia Conditoris omnium, compensetur gloria principum æternorum. Epistolæ porro ad Reginam Ioannam hoc erat exordium: [Sancto & uxori ejus commendarat.] Regis & Reginæ cælorum gratia te dignum constituis, si mente solicita vaces operibus caritatis: & ex hoc etiam apud homines tibi clari nominis augmentum acquiritur, & in conspectu Sedis Apostolicæ laudis & benedictionis materia impetratur. Concluditur autē similis præcedenti exhortatio, optando, ut exinde præsentibus ac posteris grande ac delectabile relinquatur exemplum; & ipsi Reginæ Dei benignitas propter hoc dona suæ benedictionis accumulet; & Nos, inquit Pontifex, etiam uberes gratias opportunis temporibus referamus. Extant tres illæ Epistolæ integræ, sed impressæ absque nota anni, diei, ac loci; pro anno tamen quem signavimus, apud Ægidium Davila in Theatro Ecclesiæ Murciensis: nam tertius post restaurationem Cathedræ prædictæ Episcopus, D. Didacus Martinus de Morgaz, teste Tamayo ad 24 Ianuærii, transtulit Cathedralem ecclesiam ex Carthagine Murciam, propter crebram Maurorum infestantium in urbem irruptionem, qua nec divina Officia debita gerebantur solennitate, nec oppidanorum numerus ad defensionem necessarius inveniebatur.**

## CAPUT XII.
## Expugnata Mula, Giennium obsidetur & deditur: decernitur obsidio Hispalensis.

**[22] Dum Rex ad Granatam esset, Mauri, Gazulæ dicti, excurrerant ad Martos, locumque obsederant: [Rex**

succurrit arci Martanæ,] quo intellecto, statim missus est Alfonsus Regis frater: hic autem cum Magistro Calatravæ ejusque Fratribus illuc properans, invenit Mauros jam recessisse. Etenim qui intus fuerant Fratres, adjuti ab aliis qui auxilio venerant, erumpentes contra ipsos ita generose pugnarant, ut multis eorum cæsis, & captis non paucis, plenam de barbaris victoriam per Dei gratiam reportarint, magna præda equorum aliarumque rerum ditati. Interim Rex Ferdinandus, satis diu circa Granatam hæsisse, & Maurorum insolentiam repressisse visus, populata regione eorum ut libuit, sicut prædictum in Historia est, [& Cordubam redit,] paulatim sese recepit Cordubam; ubi honorifice lætanterque receptus, apud uxorem suam D. Joannam, necessaria sibi suisque quiete corpus refecit, & copias refocillavit. Dictum etiam superius ab Historia est, quomodo Rex Ferdinandus Alfonsum filium suum Murciam miserit: nunc addendum, quod illuc cum credito sibi commeatu appulsus, eodem per munitiones & arces distributo, omnes perlustrarit; & ubique justitiam administrans ac bene meritos remunerans, cuncta optime disposuerit. Tum demum excurrit Mulam, Lorcam, & Cartagenam, quæ ei se noluerant tradere, [dum interim filius Mulam fame expugnat,] ac multa singulis damna intulit per campos. Intelligens autem, quod Mulæ magna esset annonæ penuria, eamque si obsideretur fame cogi ad deditionem posse; consulto prius D. Pelagio Correa oppidum cinxit, atque ante illud tam diu perseveravit, donec fames ipsi locum tradidit: ex quo atque ex arce ejus Mauros omnes ejecit, exceptis paucis quos in suburbio permisit manere. Hunc primum locum Infans Alfonsus obsedit & obtinuit, præsente ad omnia Magistro Pelagio, qui numquam ab ejus latere discedebat. Est autem Mula oppidum validum ac bene munitum, cum arce insigni & turribus circumsepta, opulentum præterea terris cultis ac pascuis, fructibus item & aquis commodum, atque districtu territorii sui complectens montes bene fertiles

spatiumque peramplum. Sed nunc in Murciæ regno dimittentes Infantem, redeamus ad patrem ejus Ferdinandum.

[73] Erat is cum Regina uxore sua Cordubæ, post reditum ex agro Granatensi; ibique a filio Alfonso accepit lætissima sibi nuntia de Mula intercepta, deque statu Maurorum necdum subjugatorum: præterea nuntiatum ibidem ei est, Regem Argonæ, cum maximo commeatu plus quam mille bestiarum oneratarum, proficisci Jaë, [& frater impedit commeatū Giennensi urbi destinatum.] ut civitati illi prospiceret de annona. Statim ergo Alfonsum fratrem, cum delectis Ubeda atque Baëza adductis, misit, qui venientibus se medium interponeret, adituque ad urbem prohiberet. Mox ipse post eum ivit, iveruntque cum eo D. Rodericus de Valduerna, D. Didacus Gomez, & D. Alfonsus Lopez de Vaya. Profecti sunt autem Argonam indeque Jaën, biduo toto expectantes venturum commeatum: sed frustra: nescitur tamen utrum Mauri, adventu ejus cognito, an alia ex causa venire prætermiserint. Rex vero, nolens ibi tempus terere, post grandia damna circum urbem facta, revertit Cordubam; ubi, priusquam aliquam requiem caperet, intellexit matrem suam D. Berengariam Toleto ad se venire. Hoc cum gratissimum ei accidisset, ad excipiendam eam confestim egressus est cum Regina Joanna; [Rex cum matre extremum congressus,] transitoque Portu venerunt ad locum, tunc Pozuelo dictum, ubi filius eorum Alfonsus postea insigne oppidum condens, Villam-regalem a nuncupavit. Ibi inter se viderunt mater & filius, mutuoque aspectu & convictu recreati sunt totis sex hebdomadis, numquam amplius invicem revisuri; nam ipsa Toletum reversa est, Rex cum uxore ad confinia abiit, neque in Castellam amplius venit.

[74] [post vastatos Maurorum agros,] Transito autem Portu ivit in Andugar, ubi totum suum exercitum colligens,

cum Regina uxore profectus est Jaën. Ac primum vastavit hortos vineasque & messem totam, nec quidquam quod reperit dimisit integrum: deinde progressus est Alcalam Abenzaidæ b, & similiter egit, multos Mauros abducens in servitutem. Postea transiit Illoram, intravitque suburbium & expilavit; oppidum vero incendit, occisis captivatisque Mauris toto illo districtu. Fuit autem præda copiosa quam inde avexerunt, tam in gemmis lapidibusque pretiosis, quam suppellectile ac vestimentis, copiaque magna pecorum ac jumentorum: erat enim oppidum dives valde. Inde nobilis iste Rex ad campos Granatenses populabundus excurrit, idemque fecit in montanis locis, donec veniret usque Granatam: circa quam mansit diebus aliquot, destruens ac vastans omnia quæ Maurorum erant, absque eo quod hi auderent contra eum procedere. Videns ergo frustra se ibi hæsurum, recessit Martos: ubi ad eum Murcia venit Magister D. Pelagius Correa, Regique narravit quam prospere ibi egisset D. Alfonsus filius ejus, victoria relata de resistentibus Mauris, quod Regi lætitiam non parvam attulit. Tum illius consilium exquisivit, interrogans, quid ei de Jaën civitate obsidenda videretur: qui respondit optimum id factu esse; idemque sensus fuit omnium aliorum Procerum. Convenerunt ergo Magnates hominesque opulenti & cuncta sodalitia militaria, & statuerunt qua ratione alii hoc, alii alio tempore, [Giennium obsidet.] adessent, ad obsidionem per vices continuandam, donec urbs traderetur. Et hoc ita quidem cœptum est; sed cum vidisset Rex, post dies aliquot ibi consumptos, non procedi quemadmodum constituerat & volebat; ipsemet eodem accessit, mansitque, licet incommodissimo tempore, frigido utique & pluvio, quia media hiems tunc agebatur: unde fiebat ut tam homines quam jumenta plurimum damni paterentur, nec tamen ab obsidione recessum est.

[75] Videns ergo Rex Argonæ, qui idem & Granatæ, Ferdinandum tam pertinaciter inhærere proposito, neque recessurum nisi capta urbe; quæ longa fame pressa, non videbatur diu posse resistere, fatigatis extenuatisque propugnatoribus; se vero non sufficere ad auxilium obsessis ferendum, omni ex parte sic clausis, [Cujus defensionem desperans Granatæ Rex] ut nec egredi quisquam nec ingredi ad eos posset; statuit ad Regem suplex accedere, seque ac sua omnia ejus fidei tradere, confidendo in ejus magna bonitate, quod clementer habiturus eum esset. Hoc suum consilium cum Mauris proposuisset Rex barbarus, quo nullum ei occurrebat salubrius, ad consulendum ipsis suoque honori ac regno; perrexit ad Regem Ferdinandum, seque subditum ejus professus, cum osculo manuum tradidit se in illius potestatem, simulque obsessam urbem in pignus perpetuæ fidelitatis. Excepit eum sic humiliatum Rex humanissimus, cum ea clementia qua tales solebat; pactusque cum ipso est, ut maneret in regno ac dominiis suis sub tributo centum & quinquagies mille maravedisiorum annue pendendorum, [ultro se Ferdinando subjicit,] & obligatione sequendi suam Curiam, fidæque societatis pace & bello; solum urbem obsessam, utpote jam propemodum subactam, dimitteret. Quod cum utrimque placuisset ac firmatum esset, tradita est Ferdinando urbs Jaëen. Est autem urbs hæc perquam populosa & ampla, multisque ac fortibus turribus munita, abundat vero aquis bonis intra muros, & copia rerum omnium quæ possent in nobili atque opulenta civitate optari: bellicosa etiam multumque formidata erat, antequam veniret in potestatem Christianorum; [relicta eidem urbe Iaënsi,] postquam vero his cessit, fuit semper propugnaculum confinium, quæ exhinc secura manserunt, atque extra periculum habitari ab eisdem potuerunt. Sed regrediamur ad Historiam.

[76] Tradita in illum modum civitate, ingressus eam est Rex cum processione totius Cleri: [quæ Christianis habitandæ traditur.] rectaque procedens ad Mezquitam majorem, eam dedicari in ecclesiam fecit sub invocatione S. Mariæ, Missam cantante D. Guiterio Episcopo Cordubensi. Stabilivit etiam ibidem Cathedram Episcopalem, attribuens ei oppida & castella ac fundos sufficientes; misitque in omnem partem, invitans ad implendam urbem, sub pollicitatione multarum immunitatum ac privilegiorum, quæ venientibus illuc habitatum fideliter præstitit, dividens eis civitatem & agros. Mansit autem ibidem Rex mensibus octo, pacem constituens, munitionesque restaurans, quatenus opus erat. Postea convocatis in consilium Magnatibus atque ditioribus regni Magistrisque Ordinum, dixit, [Decernitur obsidio Hispalensis.] aliquid denuo tentandum videri, quandoquidem jam pridem otiabantur. Singulis vero sententiam dicentibus, & quibusdam excursionem versus Hispalim suadentibus, aliis castella quædam Maurorum adhuc relicta in confiniis expugnanda; Magister Pelagius & varii Equites Ordinis S. Jacobi, rerum bellicarum experientissimi, magis probaverunt ut obsideretur ipsa Hispalis, qua urbe superata prona essent futura omnia. Erant tamen quibus consultius videbatur, excursionibus iteratis prius depopulari agros circumquaque, ac tum demum defatigatos obsidere; ita minori tempore atque periculo capiendam urbem. Nihilominus Magister Pelagius aliique multi perstiterunt in sententia, asserentes, tempus illud quod ponendum esset eundo ac redeundo, & sumptus faciendos in expugnandis minoribus locis, melius impendendos metropoli capiendæ; ita uno eodemque labore omnia simul absolvi: quod consilium etiam Regi magis placuit, & stabilitum fuit.

## ANNOTATA.

Topographica Blavii tabula Andaluziam repræsentans, media inter Toletum & Cordubam via, supra Anam fluvium, exhibet oppidulum sub titulo Villæ-regalis: sed accuratior Vischerus Villam-majorem nominat, & 6 milliaribus altius ad idem flumen notat Civitatem-regalem, quam potius hic intelligi credimus.

Ægidius Davila tom. I Theatri sui Ecclesiastici pag. 245, primum hujus urbis Episcopum facit Dominicum, qui tamen Beatiæ sederit totis 59 annis, fueritque Ordinis Prædicatorum, & successorem habuerit Petrum, a quo Giennium relata sit Sedes anno 1249, [Giennensit Episcopus primus, an Dominicus?] annuente Innocentio IV. De Petro nulla occurrit dubitandi causa, de Dominico longe maxima. Hic enim (scilicet Dominicus) non potuit ante annum Christi 1249 fuisse annis 59 Episcopus, nequidem Beatiæ, debuisset namque anno 1190 ordinationem suscepisse: & tamen constat, quod quando pugnatum ad Xerez est an. 1234, Beatia adhuc habebat suum Mauricum Regem. Præterea S. Dominicus, Ordinis Patriarcha, teste Bzovio Dominicano in Annalibus, primum suos alumnos cœpit mittere in Hispaniam anno 1219, annis quatuor post impetratam sui Instituti approbationem. Porro cum antiquitus neque Beatiæ neque Giennium fuerint urbes Episcopales, facile crediderim facultatem novi Episcopatus instituendi in urbe Giennensi, cui etiam Beatia subesset, primum expeditam fuisse anno 1249 (neque enim istuismodi negotia solent tam cito Romæ confici) adeoque Petrum primum fuisse urbis utriusque Episcopum; idque tenendum esse, donec pro Dominico, saltem ad paucos annos Cathedram tenente, certius nanciscar testimonium.

Hic addiderim, eodem quo hæc agebantur tempore, Regem quoque Aragoniæ felicißimos habuisse progressus in Regno Valentino contra Barbaros: quos ne impedirent veteres prætensiones Castellani in Navarram, & novarum

simultatum quottdianæ occasiones; provisum est, [Inter Castellanum & Aragonem contracta affinitas, pacis vinculum.] contrahenda denuo inter ipsos Reges affinitate; dum Alfonsus Sancti primogenitus, Violantem Iacobi æque primogenitam, ex Violante Andreæ Hungariæ Regis filia anno 1234 ducta natam, uxorem duxit Vallisoleti mense Novembri, ut ait Zuniga: qui deinde explicat, quomodo novæ utrimque simultates ex ipsis victoriis ortæ inter Socerum Regem & Infantem generum, compositæ fuerint an. 1248 mense Aprilis, definitis Murciensis ac Valentini regni limitibus, quoad loca adhuc acquirenda.

## PARERGON IV
## De situ & munitionibus urbis Hispalensis tempore obsidionis mox narrandæ.

[77] Prius quam porro pergam Latine reddere textum Chronicæ Ferdinandææ, expediet, [Describitur urbs amplissima] ad eum clarius & facilius intelligendum, præoculis ponere situm statumque urbis, qualis erat cum eam obsedit Rex sanctus, præeunte & prælucente accuratißime Hispalensis historiæ & antiquitatum urbis scriptore Alfonso Morgado, annis ab hinc ferme centum impresso Hispali. Hic cum lib. 1 cap. 14 dixisset, quod Mauri Hispalenses, progeniti a primis ex Africa transgressis Hispaniarum domitoribus Arabibus, eo tempore Rege destituti, numquam se voluerunt subjicere Maurorum Granatensium Regi, utpote ignobiliorum & ex Palæstina post ipsos advectorum, quamvis diu eos multumque solicitasset; sed unius inter suos præcipui, Axataf dicti, consilio fere & auctoritate regebantur; hæc, inquam, cum dixisset Morgadus; quam fuerit urbs armis annonaque & omnis generis apparatu ad vitam bellumque ducendum infructa, colligi jubet ex diuturnitate obsidionis toleratæ. Sed & hæc, inquit, brevis temporis fuit, [cincta turribus 166,] respectu ingentium

hujus urbis virium. Etenim ambitu præcipui sui muri complexa spatium non minus quam octies mille septingentarum ac quinquaginta virgarum, plena erat populo bellicoso ac fere innumerabili. Muri alti ac firmi, absque rima aut ruptura ulla; utpote numquam bello pulsati, instructique turribus per circuitum centum sexaginta sex & pluribus. Præcingebat eadem antemurale, quale cuicumque magnæ civitati vel solum sufficere ad munitionem posset, cum fossa bene profunda ac larga. Portæ ejus principales duodecim (ut de posticis duobus taceam, Alcazarii & Atarazanarum dictis) cum procurrentibus oblique propugnaculis, erant densatæ clavis & ferreis laminis obductæ, supra durissima boum tergora, craticulis chalybeis substrata.

[78] Quia tamen ex latere uno, atque adeo dimidia sui parte, [paratum habens ex Axarafa subsidium] sex portas habente, securam magis urbem faciebat fluvius Bætis, ad cujus sinistram ripam versus Occidentem jacet; ideo ex altero latere sublimiores firmioresque muros turresque cum antemuralibus fecerant de industria, fossam etiam latiorem profundioremque, sicut hodie videntur. Sed nihil æque magnam Mauris fiduciam dabat, ut sese inexpugnabiles crederent, quam commoditas subsidii tam hominum quam alimentorum, inferendorum ex famoso illo & fertilissimo Herculis horto (Axarafam ipsi appellabant) qui ex adverso urbis trans flumen incipiens, decem leucas in longitudinem & quinque in latitudinem extenditur, triginta autem leucas suo ambitu complectitur; usque ad oliveta Nieblensia pertingens: in quo centum millia prædiorum, [per castellum Trianæ,] præter arces vicosque, numerabantur; habebatque in fronte Castellum Trianæ nuncupatum, quod ex una parte; qua Hispalim respicit, flumen alluit; ex altera, muri cingunt, instructi turribus altis ac firmis, quales nunc quoque conspiciuntur. Hinc porro vix dimidia leucæ horariæ parte distabat perquam munita civitas Haznalpharache, [& pontem,]

quæ omnes totius Axaraphæ Mauros tuebatur, posita supra jugum montis, ad dexteram Bætis infra Trianam, turrita etiam ipsa: quæque una cum castro Trianæ clavis erat regionis istius. Castro autem; præter turres, prætensa ex hac parte erat fossa grandis, quæ nomen usque nunc retinet foveæ Trianensis; per quam derivabatur fluminis ipsius brachium, Castello ac turribus ejus circumductum. Ut autem facilior esset inter urbem castellumque istud communicatio, ligneum supra naves grandes ac robustas pontem straverant Mauri, quem ferreis catenis ipsi castello adstrinxerant. Ut vero naves cis pontem stantes, & occupantes grande illud quod ante urbem protenditur fluminis spatium, ab omni incursu securiores consisterent, ad Turrim auream affixa erat ingens catena ferrea, quam quoties visum fuerat tendere poterant trans ipsum flumen, affigendam cuidam firmissimo muro, hodiedum manenti in platea quadam Trianensi, ab inde nomen Parientinæ habenti.

[79] Hæc Morgadus, tam clare omnia, ut præter ichnographiam urbis atque suburbiorum, oculis ipsis subjiciendam, desiderari amplius nihil poßit: [Ejusdem icon in theatro urbium] hunc autem defectum curioso lectori supplere quædamtenus poterit triplex iconismus urbis Hispalensis, secundum varium ejus aspectum infertus Theatro civitatum orbis, per Georgium Braun sociosque & successores, sex libris vulgato Coloniæ, ab anno MDXXIII usque ad MDCXVII, scilicet lib. 1 tab. 2, lib. 4 tab. 2, & lib. 5 tab. 7: itemque in multo auctiori meliusque ordinato Theatro, ante non multos annos edito Amstelodami apud Ianssonium. Hic siquidem redemptis Coloniensibus laminis, ante centum annos sculptis, tamquam novis est usus, nulla adhibita distinctione ab iis quas novas addidit; quod tamen monendus hic Lector videtur, ne titulo libri deceptus, ex laminis prædictis judicium formet de præsenti tempore quo urbes multæ,

atque imprimis Hispalis, plurimis ædificiis magnificentißimis publice privatimque auctæ, aliam prorsus faciem induerunt, etiam extra mœnia. Porro prædictarum Tabularum secunda instituto huic accommodatior est, quia ad planum aptatur, cum enumeratione ac designatione singularum portarum, præcipuorum templorum, fororum, atque suburbiorum. Interest tamen inter hic descriptam antiquam, & ibi notatam designationem recentiorem, quod ibi nulla appareant indicia antemuralium, & quod suburbium Trianæ, ex quo conspiciendus urbis situs datur, [non valde ab antiquo discrepans,] repræsentetur absque exterioribus ab aversa parte mœnibus, turribus ac fossa, fortasse solo jam æquatis; solum ex parte Meridionali videtur apparere pars aliqua veteris illius muri, cui prædicta Catena ex Turri aurea trans flumen ducta, affigebatur: ex parte vero Boreali conspiciuntur, ad caput pontis Trianensis, formidabiles carceres sacræ Inquisitionis, in modum castelli octonis turribus septi. Pons ipse navigiis innititur minime magnis, nec ullatenus comparabilis ei est, quem nostro Scaldi instratum sæpe vidimus Antverpiæ, cum id belli neceßitas postulabat. Quin etiam pro ripa, usque in fluminis alveum manu aggesta, murataque & silicibus eleganter strata (ut apud nos est) aliud non videas quam informem arenariam, nullisque præsidiis ad commodam navium exonerationem instructam, [atque etiam ex parte hic posita.] quamvis etiam maximæ dicantur flumen huc usque subire. Hæc omnia poteris utcumque concipire supraposito schematismo, inquo spectanda exhibetur pars utrimque extrema civitatis, cum ponte trans Bætim strato, uti nunc est; & catenæ trans eumdem tensa, uti olim fuisse concipio super defixos in alveo palos, tanto ponderi sustinendo idoneos.

[80] Vltra prædictum Trianense castellum, videre est longam secundum fluminis flexum plateam utrimque

habitatam, usque ad monasterium de las Cuevas seu Cavearum, [Quæ trans flumen vulgo Vetus Hispalis dicitur] Patribus Carthusianis attributum, quod originem suam primum sumpsit circa finem seculi XIV. Porro pergendo, secundum fluminis ejusdem flexum, eadem tabula ostendit Amphitheatri amplißimi rudera, cum monasterio S. Isidori, locisque nomen a Sanctis Brigitta & Pontio sortitis; additurque epigraphe Sevilla la Vieja, id est Hispalis vetus. Hinc aliquando mihi visum est verosimile, quod Mauri, qui vix ullam Hispaniæ civitatem aut ne vix quidem ullam dimiserunt, quam non aut aboleverint penitus, aut alio transtulerint; eam quæ sub Romanis Gothisque fuerat Hispalim, a dextero Bætis fluminis latere ad sinistrum transportarint. Verum eruditi omnes Hispani appellationem istam Seviliæ Veteris rident, [potius Italica vetus diceretur.] ut insulsum rudis vulgi commentum; certisque argumentis docent veteris Italicæ, non Hispalis, reliquias esse amplißimorum, quæ istic adhuc reperiuntur, ruderum vestigia. Nam & frequentes istic effodiuntur nummi, Italicæ nomen inscriptum habentes in aversa facie; & quem vulgus vocat Santiponce, videtur esse S. Gerontius. Italicæ in Hispania Episcopus & Martyr, XXV Augusti inscriptus Romano Martyrologio. Itinerarium autem Antonini Imperatoris, Ab Hispali Italicam P. M. VI constituit, idque trans flumen Occidentem versus. Est autem ibidem adhuc locus, Talca dictus, in partitione territorii Hispalensis a sancto Rege decreta, qui propius nomen veteris Italicæ repræsentat. Ceterum ipsa Hispalis proprium ex re nomen habuerit; si (quemadmodum docuit Ortelium nostrum Arias Montanus) Phœnicium illud est, ex Spila vel Spala deflexum, quod planiciem sive virentem regionem significat, qualis est omnis ea, [Vnde nomen?] quæ urbe ad meridiem posita, vulgato nomine Tablada dicitur, nomen, inquit Morgadus, ab eo habens, quod sit campus planus ac spatiosus (Latine Tabulatam possemus dicere) quo loco, inquit Braunius, in Theatro urbium præcitato, plurima

antiquitatis monumenta eruuntur, veluti tymbi, lapideæ ac vitreeˌ lampades, urnæ, numismata, & alia id genus, ex quibus Romanorum sepulturam hic quondam fuisse intelligi potest.

## CAPUT XIII.
## Progressus Hispalim Rex oppida quædam per iter capit: ejus claßis Mauricam vincit.

[81] Rebus apud Jaën compositis, uti dictum est, obsidioneque Hispalensi decreta, Ferdinandus pro se reliquit Ordonium Ordoñez urbis Præfectum, [Post vastatos agros Carmonenses,] qui reliquam domorum agrorumque partitionem prosequeretur, secundum mandata sibi facta; & ipse Cordubam rediit, atque post paucos dies egressus tetendit a Carmonam, quotquot extra portas reperit Mauros mactans aut capiens. Eorum, qui hac vice comitabantur Regem, præcipui erant hi: Alfonsus frater Regis, filius D. Henricus, Magistri Ordinum S. Jacobi & Calatravæ, Didacus Sanchez & D. Ferdinandus Xuarez. Comitabatur eumdem equitatus Cordubensis, perquam bene exercitatus; & Rex Granatensis, jam Regis vassallus, cum equitibus quingentis, apud Carmonam eumdem assecutus. [occupatamque Alcalam Guadayræ,] Desolatione autem circa Carmonam quanta potuit facta, Rex cum exercitu abiit Alcalam Guadayræ. Mauri vero qui Alcalæ erant, intelligentes Granatensem Regem esse in comitatu, egressi ex oppido ipsum ei tradiderunt: qui continuo illud consignavit Ferdinando in manus. Hic vero Alcalæ subsistens, fratrem suum Alfonsum cum Magistro Pelagio jussit incurrere in Axarapham Hispalensem; Regem vero Granatensem, cum Magistro Calatravæ ac filio suo Henrico, immisit contra Xerez.

[82] Ibidem Alcalæ existensi Regi locumque munienti, [nuntiatur Regi mors suæ matris.] nuntiatur obiisse ejus

matrem D. Reginam Berengariam: nec dici potest quantum ex illa morte sensum doloris hauserit atque monstrarit. Succurrit tamen ei, ne tristitiæ succumberet, innatum animi robur, invictaque constantia ad quosvis casus perferendos. Neque vero præter rationem erat, quod talem jacturam dolenter se ferre Rex tantus monstraret. Perdebat enim matrem, cui parem generositate atque virtute Rex nullus habuit: quæ utrique regno, Legionensi atque Castellano, imo Hispaniæ universæ, speculum omnis probitatis fuerat; cujus unius consilio, non unum tantum sed plura regna gubernabantur; quæque omnes ætatis suæ Reginas meritis exuperavit. Deplorata autem mors ejus fuit per omnes civitates, oppida, villas Castellæ ac Legionis, a magnis æque ac parvis; sed præcipue a nobilibus egentioribus, erga quos beneficentissima erat; perfecta & consummata in virtute, Dei rerumque divinarum amans, virtutis exemplum: quam bonorum omnium remunerator, ut veram famulam & amicam dilectam, faciat cum Sanctis suis regnum æternum hereditare. Amen.

[83] Meminit Historia nostra superius, quomodo Rex Ferdinandus, Alcala Guadayræ potitus, [Qui dimisso ad sua Rege Granatensi,] fratrem suum in fines Hispalenses, Regem vero Granatensem jussit in Xeritanos excurrere; nunc refert, quomodo iisdem a demandata sibi expeditione regressis, Ferdinandus ratam ac gratam habens operam sibi a Rege Granatensi navatam, eumdem in regnum suum remiserit, ab ulteriori servitio absolutum. Hic magnas ei gratias agens, lætus atque hilaris ad propria rediit; ipse autem Ferdinandus Cordubam ivit, propositum habens in Castellam regredi. Sed suorum consilio desuper audito mutavit mentem: considerabat enim rebus suis perquam noxium tali tempore fore regressum in Castellam, ubi inventurus esset multa, quæ ut remedio sic etiam mora longiori egebant; [jussaque parari classe,] interim vero messem

facturos Mauros viresque sumpturos, quos postea difficilius multo frangeret, atque ad eam in qua nunc erant imbecillitatem reduceret. Hoc ergo consilio approbato, Corduba discedens versus Jaën redivit; ibique intendentem bello contra Mauros prosequendo convenit Burgensis quidam civis valde opulentus, nomine Raymondus Bonifacius: cujus adventus Regi gratissimus fuit, quia erat vir instruendæ regendaeque classi navali idoneus, & ipse decreverat fabricandam unam, qua uteretur in mari ad subjiciendam sibi facilius Hispalim. Quare post longos cum illo sermones, remittens eum, in mandatis dedit, ut quam maximam posset classem compararet navium & triremium, cum eaque veniret versus Hispalim.

[84] Raymundo cum talibus mandatis dimisso, regressus est Cordubam Ferdinandus: ibi enim condixerat Proceribus atque Magistris Ordinum ac populorum Deputatis: mox autem atque exercitus convocatus adfuit, procedere versus Carmonam jussit, ipsemet continuo subsecuturus. Præcessit ergo ille, & Rex quinto post die assecutus eum est: quo praesente, statium cœperunt vastari suburbana omnia, [Carmonam deditione capit,] horti, vineæ, fruges; crescente continuo numero Christianorum, per eos qui ex regno Legionensi, Coria item, Granata, Motanches, Medellino, Caceres, aliisque ex locis affluebant. Quod videntes Mauri Carmonenses, ratique se obsidendos, petierunt inducias mensium sex, quibus manerent quieti a bello sub certo tributo, interim vero tractaretur de oppido Regi tradendo. Placuit Regi propositio talis, libenterque eis postulata concessit: quippe cui minime in animo esset, obsidioni isti se suasque vires impedendere. Similiter etiam Mauri illi, qui Constantinam, quique Reynam incolebant, accesserunt ad Ferdinandum, postulantes conditiones, sub quibus oppida sua traderent ei; quas continuo eis definivit, & Constantinam Cordubæ, Reynam Ordini S. Jacobi

concessit, manentibus ibidem Mauris, quia sic convenerat. Tum Priori S. Joannis, qui postea Commendator fuit, [deinde Loram;] mandavit Rex, ut cum numero congruo militum peteret Loram: cujus incolæ diffidentes sibi, mox pacti deditionem, locum Priori pro Rege tenendum tradiderunt; hic vero illum cum districtu suo donavit Ordini Hospitalariorum S. Joannis. Deinde Carmona discedens, transivit vado flumen Guadalquivir dictum, non sine magno suo suorumque periculo, propter spatiosas salebras ibi occurrentes, quibus operiendis superandisque contextæ fuerunt plurimæ crates ex ramis arborum, per quas solo stratas utcumque transgredi multum laborantibus contigit.

[85] Transito autem flumine, itum est Cantilianam, quæ Maurorum erat; & hanc vi obtinuerunt Christiani, occisis captisque quotquot intus erant, [Cantilianam,] numero septingentis. Tum porro processum Guillenam, Mauris quidem refertissimam, sed excidio Cantilianæ facto sic territis, ut elegerint pacisci quietam in loco commorationem, salvis rebus ac fortunis suis, seque Regi sic subdere: qui eis in fidem receptis, perrexit Gerenam, ubi Mauri sese ad strenuam defensionem paraverunt. Hoc cognito crates ac vineas Rex fieri jussit, & resistentes validissime oppugnari. Qui ad angustias magnas redacti, pacisci quidem voluerunt; sed audire eos Rex noluisset, omnes perditos volens, nisi Magnates sui ei suasissent, ne istic se pateretur occupari. Quare indulsit iis ut liberi egredi e loco possent, nihil secum auferentes; ipse vero Guillenam rediit, ubi gravi pressus infirmitate, ne cursus victoriæ sisteretur, exercitum misit versus Alcalam del Rio, obsiderique eam jussit, [Alcalam del Rio.] & oppugnari usque dum caperetur. Hoc dum machinis adhibitis conantur exequi duces militesque, convaluit Rex; illucque profectus, præsentia sua accendit oppugnationem: exiguo tamen cum successu, quia balistæ murales tertia quartaque vice rumpebantur. Erat

autem intra oppidum Axataf Maurus, qui cum equitibus trecentis frequentes ac damnosas Christianis faciebat eruptiones. Ideo mandavit Rex omnes hortos, vineas, segetemque succidi: quo viso Maurus, non ausus ibi diutius subsistere, egressus inde sese Hispalim recepit; ceteri vero, quibus potuerunt conditionibus, fecerunt Regi deditionem.

[86] Oppido huic muniendo dum intendit Ferdinandus, nuntiatum ei est Raymundum Bonifacium venire quidem cum classe, ab epibatis, militibus, [Ejusdem classis pro obsidione Hispalensi] annona, & omni apparatu bellico optime instructa; in magno tamen pericullo positum esse, propter ingentem vim copiarum Mauricarum ex Tanger, Zeuta, atque ipsa Hispali terra marique venientium in occursum, proinde opus esse auxilio festinato. Ad hujusmodi nuntium exhilaratus Rex, ne quid damni classis pateretur ex mora, misit continuo Rodericum Flores, Alfonsum Teliez, & Ferdinandum Dianiez, cum sufficienti equitatu ac peditatu. Hi cum venissent eo ubi in anchoris stabat classis, nullos conspexerunt Mauros; nec adventuros rati, rediverunt Alcalam, ubi Regem dimiserant. Verum vix abierant, quando advenerunt Mauri, cœperuntque acriter oppugnare naves Christianorum. Qui viso discrimine, nequaquam dimiserunt animos: sed generosissime prœliantes, Deoque cujus causa agebatur fidentes, adjuvante eos benedicta Virgine Maria suique Regis Ferdinandi fortuna, adeo strenue rem egerunt contra fidei inimicos, ut turbatis eorum ordinibus triremes tres ceperint, unam combusserint, tres mari merserint, [Maurorum classem profligat.] ceteras in fugam egerint, quœ usque triginta advenerant, cum Raymundus solum tredecim numeraret. * Ita in aquis res acta: terra autem magna quoque vis Maurorum egressa erat, tam Hispali quam ex aliis partibus; quando ex castris regiis processit Eques D. Rodericus Alvarez: qui intelligens Mauros eo tendere, ut

classem aditu prohiberent; quam potuit celerrime cucurrit in auxilium Christianorum, inciditque in cohortem Maurorum, cum quibus confligens dispulit in fugam, & magnam in eos stragem exercuit.

## ANNOTATA.

End Notea Carmona, etiam Ptolomæo ac Straboni nota, urbs olim ampla, etiam hodie ad quinque millia focorum numerat, distat Hispali ad Ortum leucis sex, uti ait Morgadus cap. 15 ex quo plurimam huic & sequentibus capitibus lucem adferemus, utpote qui hanc ipsam Chronicam præ oculis habuerit, & accurate expenderit.

Alcala hæc duobus solum milliariis distat Hispali, unde intelligas fere quo loco castra fixerit Sanctus, aliquo scilicet inter hanc & illam medio.

Hæc est Xerez de la Frontera, seu Limitanea, versus Mare, cujus supra facta mentio, & unde una ex primariis urbis portis, ea scilicet quæ ducit ad mare, nomen tenet.

Annus agebatur 1246, quare cum (sicuti dictum est) nata fuerit Berengaria an. 1171, [Mors R. Berengariæ,] oportet ipsam ætatis suæ annum 75 exceßisse cum obiit, die (ut alicubi tegisse scio) 8 Novembris. Moriens humiliter & in plano sepeliri voluit, in regio Huelgarum monasterio Burgis: sed cognominis ei ex sancto filio neptis, [translatio corporis.] anno 1251 honorificentius transferendam curavit; & ne soli præsenti seculo pompa illa serviret, ab Innocentio Papa IV obtinuit Indulgentias omnibus, ipso die ac decem post secuturis pro anima ibidem oraturis: de quibus Indulgentiis vide Odericum Raynaldum in Annalibus num. 27 anni jam notati 1251.

Incolæ S. Vincentii de Barquera, istam claßem apud se fabricatam fuisse gloriantur, apud Zunigam ad an. 1247 num. 1.

Motanches, quamvis non exprimatur in tabulis, urbem tamen insignem fuisse oportet, quæ tam expresse hic nominatur. Caceres media fere est inter Coriam & Emeritam, aliquanto longius distans Metellino.

Sed neque consultum erat urbem hostilem tam potentem, qualis erat Carmona, habere a tergo. Constantina autem & Reyna, Castellæ finibus propiores cis Bætim, etsi longius ab Hispali positæ (præsertim Reyna, quatridui itinere dißita) incommodare tamen vehementer poterant commeatibus, ad castra vel Murciam deducendis.

Lora, media fere via inter Cordubam & Hispalim, ad dexteram Bætis ripam.

Cantiliana, Guillena, Gerena, uno fere tractu ab Ortu in Occasum tendenti occurrunt, prior ab Hispali leucis 5, secunda 3, totidem quoque distat ultima.

Alcala, del Rio dicta, quia in dextra Bætis ripa sitæ, duabus leucis supra urbem.

Quamvis Hispalis decem circiter leucarum spatio ab Oceano distet, [Bætis ad Hispalim amplitudo.] æstuario tamen amplo dilatata pars extrema fluminis, navibus copiosis aditum præbet, easque ad urbem usque transmittit: itaque Claßis Christiana non nisi una alterave ab urbe leuca videtur stationem sumpsisse.

## CAPUT XIV.
## Terrestres aliquot victoriolæ de Mauris.

[87] Necdum intellexerat Ferdinandus relatam a classe sua contra Mauros victoriam: [Rex trajecta parte exercitus] quare in illius auxilium festinans etiam ipse, nocte prima dormivit ad Vadum quod a Palis nuncupatur, idque ad decimum quintum diem Augusti. Altero die pervenit ad Turrim appellatam a Canali; multumque exhilaratus est, audito pugnæ navalis successu; jussitq; magis sursum agi classem. * Pelagius autem Correa Magister Ordinis S. Jacobi, cum equitatu suo, tam Fratrum quam secularium circiter ducentorum septuaginta capitum, fluvium natatu transivit subtus Aznalfarache. Audax profecto consilium: ad eam enim partem posuerat sese, transitum exercitui prohibiturus, Abenamafon Rex Nieblæ; tota autem exinde terra erat Maurorum numero fere infinitorum, ipsumque aznalfarache habebat equites peditesque, & ex toto districtu plurimi undique accurrebant. Ita Magister cum Equitibus suis quotidie pugnare debuit, modo cum unis, modo cum aliis, nullam ei requiem permittentibus: & nihilominus semper remanebat victor, modo confusis ordinibus recedere eos cogens, [eaque ripam alteram obtinente,] modo grandes eorumdem strages edens. Videns autem Ferdinandus Rex, quanto in discrimine versaretur Magister; Non est æqua, inquit, partitio inter nos & eos qui sunt trans flumen: hic enim sumus ad mille equites, & illi trecentos non numerant: oportet ergo ut aliqui adhuc eis se jungant. Itaque mandavit Roderico Flores, Alfonso Tellez, & Ferdinando Diañez ut & ipsi ad alteram ripam transirent: quod feliciter factum, magno rebus adjumento fuit, sicut infra dicetur.

[88] Interim Rex ipse, cis flumen metatus castra, quotidianis etiam Maurorum incursibus fatigabatur, [cis flumen castra metatus incommode] nec pauca recipiebat ab iis damna, tam hominum quam jumentorum; idque hi faciebant citra periculum suum, eo quod regio tota esset plana, ubi insidias nullas timere debebant; opusque erat

Christianis continuo manere in armis. Quare visum est Regi transferenda esse castra in Tabladam. Huc ergo cum procederet exercitus, latus ejus tegebat Eques quidam, Gomez Ruyz Manzanedo nuncupatus, cum cohorte Madritensi: in quem incurrentes magno cum impetu Mauri, equites duos & sex equos occiderunt. Tamen adeo generose repulsi sunt a Christianis, [stationem mutat.] ut denique eos in fugam egerint fere Hispalim usque, multis Maurorum mactatis, & equis captis; atque ita probe suorum cædem ultus est Gomesius. Traductus autē in Tabladam exercitus, ut melius potuit castra munivit, pro exiguo numero quo constabat: necdum enim advenerant delecti a Communitatibus milites: quare ut ab incursibus Maurorum tutiores se redderent Christiani, circumduxerunt iisdem castris profundam fossam.

[89] Contigit porro quosdam equites egredi ad custodiam pabulatorum, post quos egressi sunt, aliquantam moram in castris trahentes, Don Garcias Perez de Vargas & alius quidam Eques, videruntque obviam sibi venire septem Mauros: quibus conspectis, dixit ille alter D. Garciæ; Domine, vertamur retro, ipsi enim septem sunt, [Garcias Perez septem Mauris occurrens,] nos autem dumtaxat duo. Cui Garcias, Non ita, inquit, mi Domine, sed progrediamur; neque enim nos audebunt expectare, Visa est alteri fiducia ista plena dementiæ: quare adducto fræno retro egit equum, rediitque in castra quam occultissime potuit, seque in tentorium recepit. Erat interim in speculis Rex, & quoniam regio plana erat, ipse vero tentorium in editiori nonnihil loco habebat, vidit omnia quæ agebantur: mandavitque ut in auxilium illius, [spectante eminus Rege,] qui solus pergere contra septem præsumebat, egrederentur aliqui. Sed Laurentius Xuarez, lateri assistens, qui viderat egredientem ex castris D. Garciam Perez, certoque sciebat ipsum hunc esse; Nihil, inquit, est opus, Domine mi Rex: eques enim ille est Garcias Perez, nec eget auxilio contra septem

Mauros; qui, si noverint eum, cavebunt congressum; sin autem, videbit Celsitudo sua quantus ille sit. Cum ergo Mauri appropinquarent, petiit a scutifero arma sua, [impune eos transit:] mandavitque a se ne abiret longius; cassidem vero alliganti excidit pileolus inobservatus, atque ita viam est prosecutus Garcias, pone subsequente scutifero. Mauri vero agnoverunt eum (erat enim inter ipsos famosus ex rebus quacumque occasione gestis) nec præsumpserunt eum aggredi, sed in utrumque latus viæ partiti comminabantur. Transivit ergo Garcias, irretorto vultu eos intuens.

[90] Tunc illi abeuntes, substiterunt in loco, ubi Garciæ pileolus de sub casside exciderat: quem deinde, [iterumque eodem rediens ob amissum pileolum,] galeam dissolvens, ut deesse vidit, quæsivit ex scutifero ubinam is esset. Hoc autem respondente, se nihil de eo scire; intellexit Garcias excidisse eum sibi: ideoque resumens arma, relegere iter quo venerat voluit, mandans scutifero, ut attento oculo elapsum requireret. Graviter id ferens armiger, Eja, inquit, Domine, an tu propter pileolum vilem redire in tantum discrimen cupis? nec satis gloriæ tibi esse putas, quod unus non timueris septem equitibus occurrere, eisque despectis progredi via tua? At Garcias: Tu vero, non vides, sine pileolo si sim, sine capite me esse? (erat enim calvus) & hoc dicens regressus est eo, ubi primum arma induerat. Tunc Laurentius Xuarez redeuntem videns, inquit Regi: Vide quomodo regrediatur ad Mauros, aggressurus ultro eos, qui se aggredi transeuntem timuerunt: nunc videbis quam fortiter in eos invecturus se sit, si forte eum audeant præstolari. Ast hi redeuntem versus se conspicati, receperunt sese, nec ausi sunt hominem exspectare. Tum iterum Laurentius: Eccum, ut dixeram; non audent septem Mauri expectare unum Garciam Perez, [in fugam agit solo sui terrore.] quod Celsitudini tuæ specimen sit ejus famæ, qua etiam hostibus noti sunt generosiores Equites tui. Denique

perveniens ad locum Garcias ubi pileolus exciderat, armigero desilire in pedes jusso ipsum recepit capitique imposuit, atque ad pabulatores perrexit. Reversis autem equitibus iis, quos egressos diximus, ad illorum custodiam, cum iisque Garcia; quæsivit ex eo coram Rege Laurentius, ecquis fuerit Eques iste, qui eum deseruerat. Sed Garcias negavit se novisse hominem, neque patienter tulit se in faciem laudatum: idem vero postea sæpe interrogatus, semper excusavit se scire quis esset, quamvis hominem quotidie videret in castris; nolebat enim quidquam ejus famæ detractum, qui vulgo bonus Miles habebatur; sed & armigero inhibuerat, ne cuiquam faceret illum notum, interpositis minis si aliter fecisset.

[91] Translatis, ut dictum est, in Tabladam castris, impetum in ea Mauri fecerunt, ex ea parte quam tenebant Magistri Calatravæ, Alcantaræ, & Alcanizii, inventosque ibidem verveces aliquot abducebant. Quod intuens Ferdinandus Ordoniez Magister Calatravæ aliique Magistri, una cum suis Fratribus, celeriter insecuti sunt Mauros. [Protracti ad insidias Christiani pauci] Cum vero eos jam pene attigissent, inciderunt in locum ubi Mauri ëquites quingenti se collocaverant, porroque pergentes venerunt in locum alium insidiarum, ubi equites trecenti subsistebant cum multo peditatu. Tum vero utrimque erumpentes in Christianos, in medio eorum deprehensos, cœperunt acriter ipsos hinc & inde urgere. Qui tali in discrimine positos se reperientes, & vel moriendum sibi vel vincendum esse, Deo commendaverunt animas suas; tantoque cum impetu insiluerunt in barbaros, ferientes a dextris atque sinistris, ut denique in fugam utrosque compulerint, quamvis nonnumquam subsistentes ac pugnam redintegrantes. Duravit autem ab aurora usque in horam nonam certamen istud, in quo multi Mauri tam equites quam pedites occubuerunt; Christiani vero, obtenta victoria revertentes ad castra, [victores redeunt:] obviam habuerunt

Ferdinandum Regem, auxilio sibi venientem, cum quo pariter regressi sunt exultantes ob successum.

[92] Talia dum agerentur ex hac fluminis parte apud Regem Ferdinandum, in altera erant Magister Pelagius Correa, Rodericus Flores, Alfonsus Tellez & Ferdinandus Dianiez, stationem habentes subtus Arnalfarache: qui procedentes inde irruerunt in Gelves; atque adeo strenue oppugnarunt, ut vi locum ingressi occiderint aut ceperint Mauros omnes intus repertos, [aliique similiter,] cum opulentis spoliis. Hinc vero perrexerunt Trianam, unde contra eos egressi sunt Mauri multi, pedites equitesque; sed eos sic excepere Christiani, ut denique in fugam actos persecuti sint usque ad portas castri: atque ita, cum honore & nemine suorum amisso, redierunt ad stationem prædictam. * Ibi cum essent, Mauri Arnalfarachenses quotidie excurrebant, non sine aliqua jactura hominum nostrorum ac jumentorum: cui malo remedium posituri illi, consilio inter se habito, posuerunt insidias. Cum ergo solito more egressi essent Mauri, venissentque in præparatum sibi locum; prius quam eum omnino transissent, detexerunt insidias. Quod ipsis quidem nonnihil principio profuit: sed antequam se recipere possent, adeo acriter invecti Christiani sunt, ut occiderint ceperintque plures quam trecentos, persecutique sint usque in Arnalfarache, neque deinceps illi ausi sint amplius e sua munitione prodire. [Minutæ aliquot victoriæ.] Post hæc intellexit Magister, quod Capitaneus quidam nauticus, Hispali missus, transisset Triana, venturusque esset in Arnalfarache ad subsidium suorum ibidem existentium, itaque tetendit ei insidias: quas quidem evasit Maurus exerrans a via, assecuti tamen eum Christiani sunt; & occisis novem e comitatu, ipsummet dejecerunt de equo: parumque abfuit quin caperetur, nisi maximo numero erumpentes præsidiarii, periculo eum subtraxissent, quamvis non sine jactura suorum.

# ANNOTATA.

Vadum hoc, inquit Morgadus, est supra Alcalam duabus leucis, sed, propter commoditatem transitus, [Vadum in Bæti quæsitum,] utendum hoc circuitu fuit: vulgo est Vado de las Estacas. Cur autem omissa commoditate, quam ad obsidionem formandam ex eadem parte fluminis præbere videbantur, jam occupata oppida, Cantiliana, Guillena & Gerena, maluit Rex iterum trajicere flumen, paulo ante tanto labore transitum? Causam addit Morgadus, quia, ut ex illa parte occurreret classi, transeunda fuisset tota Axarapha, Mauris confertissima.

Vulgo Torre del Caño, quæ, ut ait idem Morgadus hodieque permanet, sed modo nominatur Turris-pabulatorum, [Turris-Canalis.] juncta magno Canali, qui tunc temporis Turri isti nomen dabat, distans a sinistra Bætis ripa quarta circiter leucæ parte, ab urbe autem leucis duabus, & sex a vado prænominato de las Estacas. Caños autem Hispani vocant, non solum Aquæductus (qualis est ille Hispalensibus notißimus, & Romanæ magnificentiæ æmulum opus, aquam Carmona deducens) sed etiam minorum fluminum majoribus se immergentium ostia: Turris vero ista erat ad ostium Guadayræ, in Bætim se exonerantis.

Confusa hæc narratio est, inquit Morgadus, dum dicitur quod venit Rex a Turri-Canalis ad locum ubi stabat classis, eamque jussit sursum duci: [Castrorum regiorum locus.] ex eo tamen quod mox dicitur Pelagius transisse fluvium infra Aznalpharache, colligimus castrorum locum fuisse media circiter leuca infra Hispalim. Ibi ergo steterit classis, ubi circa annum MDLX eruta fuit anchora antiquissima, & formæ prorsus differentis ab hodierno usu, quæ potuit a tempore hujus obsidionis ibi jacuisse.

Ita corrigo quod impressum erat, a vado; & lego, a nado. Vadum enim nullum concipi potest in flumine tam profundo, [Vado, an natatu transitus Bœtis?] ut maximas etiam naves Hispalim usque transmittat: natatu autem transiri fluvios quamvis rapidißimos posse, non solum nos docuerunt Tartari ad Viennam, sed etiam sæpius videt Hispalis, quando intumescens Bœtis, obtecturus videtur majorem minoremque insulam, ubi armenta solent pascere; tunc enim hæc cum sui, custodibus natatu transeunt in continentem: sed custodes non aliter fere quam in equis, uti hic Correa sociique fecerunt.

[Ossetum vetus ubi?] In tertia Hispalensis civitatis tabula, notantur velut rudera magni oppidi atque turriti, uno quadrante ab urbe, cum titulo S. Ioannis del Foratche: quia scilicet Equitibus S. Ioannis locum sanctus Rex ac filius ejus dederunt: opinio autem communior inter eruditos est, eo loci stetisse vetus Osset, Plinio nominatum, (cujus nomen Mauri mutarint) & priscæ ibi Christianitatis reliquiam adhuc manere in templo parochiali, fontem scilicet baptismalem, longe antiquißimum.

Niebla, oppidum nunc, tunc ampla satis urbs, trans Rivum-tinctum sive Azecham, Hispali fere ad Occasum sita, intervallo circiter 10 leucatum.

Iterum hic erratum videtur a librario, scribente Embarcandolos; est enim embarcar navigio imponere; neque satis commode id explicat Morgadus de fuga Maurorum ad naves suas, vel de captivorum transmißione ad castra Regia: quare credo scribendum fuisse Embarazandolos, id est impediendo confudendo illos; vel Embargandolos, quod idem est.

[Tablada campus Hispali suburbanus] Tablada, inquit Morgadus, ab ipsis Hispalensibus muris patens versus

meridiem; atque adeo locus in quem translata castra dicit Chronica, magis ex fronte respiciebat civitatem, paulo amplius quam media leuca ab eadem distans, trans pontem Guadayræ, mediam Tabladam percurrentis, donec se in Bætim immergat. Tam igitur commode illuc subvehi omnia poterant, quam ad ipsam Bætis ripam, meliusque muniri castra quam in uliginoso fundo, qualem ad Bætim longo tractu esse scribit Morgadus. Zuniga num. 7 addit, ibi hodie visi Eremitorium S. Mariæ de Valme, atque ex traditione haberi, quod ipso loco steterit sancti Regis tentorium.

Zuniga, in Appendice ad Annales, pro an. 1247 num. 8, [Garciæ Perez audax facinus propter pileolum] fatetur, non deesse, qui putent totam hanc narrationem esse apocrypham: neque ipse pro ea fide-jubere audet: ad ejus tamen qualemcumque confirmationem ex Argote de Molina, in 3 parte Nobiliarii Andaluziæ, ipsam refert rhythmo vulgari expressam: qui cujus ætatis sit nescitur, scitur autem etiam typis vulgatus fuisse ante annos ducentos. Non video tamen quomodo res plane fabulosa irrepere in Chronicam hanc potuerit, nisi hæc successu temporum transcripta ex originali fuerit & transcribendo interpolata, [veteri rythmo] quod probari deberet, non simpliciter præsumi; maxime cum tota eadem res legatur in Historia generali, quæ sane haud parvæ auctoritatis est. Accedit quod liber, inscriptus Lucanor, a Sancti Regis pronepote D. Ioanne Emmanuelis compositus, de eodem Garcia Perez dicat, quod una cum duobus Equitibus præsumpserit procurrere in unam Hispalensium portarum, eique hastam impingere, unde secutus sit cruentißimus conflictus cum Mauris, ad ultionem tanti contemptus egreßis: qui conflictus tamen hic præteritur, [inscriptione] sicut & ælia haud dubie multa, diuturnæ obsidionis tempore gesta. Denique singulares honores, Garciæ collati longe supra ordinis sui gradum, singularia ejus

facinora fuisse demonstrant: nam supra portam Xeresiam antiquitus legebatur hæc stropha;

Hercules me edificó,
Julio Cesar me cercó
De muros y torres altas:
Vn Rey Godo me perdió,
Vn Rey Santo me ganó,
Con Garci perez de Vargas

[& sculptura confirmatum.] ubi recuperatio urbis æqualiter tribuitur Sancto Regi & Garciæ, aut saltem hic illi præcipuam operam navasse indicatur. Quod autem ad præmemoratam heroicam actionem propius pertinet, est, quod, cum jubente Philippo II innovanda esset Capella Regia, atque ex ejus mandato auferendæ ab ea imagines omnes, nisi quæ representarent Angelos, Sanctos, Reges, aut Virtutes; per inadvertentiam ejus qui præerat operi, integræ manserint duæ, clavicularibus lapidibus arcuum fornicem continentium insculptæ, quarum una pileolum manu, altera fustem tenebat; unde intellectæ sunt Garciam & fratrem ejus cognomento Maxucam repræsentare: de quibus interrogatus postea Rex quid fieri vellet, retineri omnino eas jußit; judicans non sine altiori providentia accidisse, ut, contra quam mandaverat, duæ illæ imagines intactæ remanerent. Ego, quod accepi, simpliciter retuli: alii, quod voluerint, judicent.

Alcantaræ Magister VI D. Petrus Yañez, ab anno 1234 usque ad 1254. cui Rex donavit Metellinum & Bienquerenciam. Calatravæ Magister XII D. Ferdinandus Ordoñez, ab anno 1243 ad 1254: sub quo ordinem istum ingressus est Regis Frater Alfonsus, Dominus de Molina, licet uxorem filios ac filias haberet, ut dicitur in Historia trium Ordinum.

Alcanizium, oppidum Aragoniæ, ad fluvium Guadalupe; qui inde ad 4 mill. Ibero se infundit, Cæsaraugusta (ad cujus diœcesim pertinet) distans mill. 14. Id sub an. 1348 nominatur a Mariana lib. 16 cap. 14, [Schisma inter Equites Calatravæ.] veluti alterum caput Ordinis Calatravæ, per schisma divisi, occasione Garciæ Lupi Magistri, ex Castella in Arageniam profugi, ubi titulum Magistri Alcanizii duobus successoribus reliquit; interim dum Magister Calatravæ dicebatur, pro ipso electus Ioannes Nunnius: qui demum anno 1348, sublato schismate, solus tenuit Magisterium. Sed ista fuerit veteris schismatis resuscitatio potius quam principium: cum enim post infelicem ad Alarcos pugnam, amissa Calatrava, in summas Angustias redactus apud Castellanos Ordo, Alcanizii in Aragonia Commendatorem ad Magisterium extulisset; videtur is maluisse Alcanizii Magister appellari quam Calatravæ, quæ nulla ipsi erat. Vnde factum sit, ut urbe postmodum recuperata & Ordini restituta, certari cœperit inter utramque Domum utra potior haberetur, & uterque Commendator appellari Magister: nam in utroque simul, ut distinctis, nominando, Chronica Generalis cum Ferdinandæa consentit, ut istam hic nequeamus interpolatam cogitare.

Gelves, oppidulum seu vicus, Trianæ proximus ad occasum est.

## CAPUT XV.
## Pugnæ & velitationes terra fluvioque, eventu vario.

[93] Post tot tantasque strages, quas Mauris Christiani intulerunt, [Mauri fluvium sibi aperturi,] perseverante in obsidione Hispalensi Ferdinando, illi in arctum se cogi viderunt tam aqua quam terra, & undique oppugnari; magis tamen senserunt damna quæ patiebantur a classe fluvium insidente, atque adeo auxilium, quod ea parte facilius haberi poterat, præcludente. Quare, ut

incommodum istud a se amolirentur, construi fecerunt ex trabibus inter se contextis ratem adeo magnam, ut totam fluminei alvei latitudine occupans caveri nullatenus posset: hanc autem onerarunt vasis, igne Græco, pice, ac resina plenis, stuppisque & alia materia multa, ad flammam concipiendam diffundendamque idonea. Ita instructæ machinæ imposuerunt militem multum, antecedentibus aliquot navibus bellicis; magnaque cum ferocia invecti sunt in naves Christianorum, ignem omnibus, si possent, [conantur classem Regiam incendere,] injecturi. Eodem vero tempore etiam terrestres eorum copiæ se moverunt, & horrendo utrimque tubarum ac tympanorum strepitu vociferationeque terribili commissum est prælium: [sed frustra,] ad quod nec aqua nec terra imparati Christiani, sic exceperunt advenientes, ut utrimque tandem eos verterint in fugam, cœpti sui sero pœnitentes. Magna tamen diei parte duravit conflictus, potissimum navalis, prius quam vinci se fassi Mauri fugam arriperent cum clade magna, eorum præcipue qui de navibus atque de rate desilientes in fluvium, hauriebantur aquis. Neque damni quidquam passi sunt Christiani ab igne Græco, quem ipsimet succendentes reddiderunt inutilem, æque ac ceteram materiam flammiferam. Terrestres etiam Christianorum copiæ, in utraque fluminis ripa, stragem magnam ediderunt fugientium tam equitum quam peditum; donec eos compulerunt, partim intra portas Hispalenses, partim intra Trianense Castellum: atque hunc exitum habuit Maurorum machinatio tam formidabilis.

[94] Interim explebatur tempus induciarum, cum Carmonensibus pactarum: qui considerantes Ferdinandi Regis fortunam proficere, [Castra regia pene vacua esse referenti,] res autem Maurorum retro ferri, pepigerunt cum Rege ut oppidum & omne ejus dominium ei cederent, ipsi vero ibidem vivere permitterentur salvis suis rebus omnibus. Hac conditione firmata misit Rex illuc D.

Rodericum Gonzales Giron, ut suo nomine possessionem iniret: quo facto, relictoque in arce idoneo præsidio, redivit ad Ferdinandum Rodericus; actorumque reddens rationem, perquam bene receptus est. Contigit autem diebus illis castra regia pene absque milite relicta fuisse, dum aliqui egressi erant ut impedirent commeatum annonarium civitati inferendum, alii in Maurorum regionem incurrerant, alii denique pabulatores comitati aberant, Rege cum valde paucis castra custodiente. Tali rerum statu Eques quidam Maurus, exploratum egressus, recta ad tentorium Regis se contulit, meditata pridem fraude simulans, quod se & creditam sibi arcem vellet in potestatem ejus contradere. [credere non audent:] Ita benigne auditus & exceptus, castra perlustravit securus; cunctisque pro libitu exploratis, cum adeo male custodita omnia comperisset, lanceam sumpsit; cursuque versus civitatem arrepto, obvium quemdam balistarium occidit. Ubi vero civitati appropinquavit, immensum vociferari cœpit, ne tardarent erumpere in Christianos, quorum nemo posset eorum manus evadere propter eorum paucitatem. Sed frustra omnis adhortatio fuit, & nemine egredi audente, etiam hac vice discussum periculum est a capite Regio.

[95] Alias accidit Regem trans fluvium abiisse ad Magistrum Pelagium, castraque cum exiguo milite tuenda reliquisse Infanti Henrico, Dominisque Laurentio Xuarez & Ariæ Gonzales Quixadæ. [egressi plurimi,] Hoc intelligens Axataf, cum omnibus copiis suis bene numerosis egressus Hispali, ingenti cum strepitu atque clamore prorupit contra Christianos, tamquam ordinatis ad prælium turmis impressionem facturus in castra; sperans vel solo sui adventus terrore agendos in fugam esse custodes. Sed Infans Henricus, cum Ducibus prædictis & exigua illa militum manu, subjicientes calcaria equis, sic procurrerunt in barbaros, ut adjuvante ipsos Deo in fugam averterint multitudinem totam: quo

viso, generose eos insecuti sunt, ferientes atque necantes, donec eos in civitatem retruserunt. Prius autem quam portas tenere possent omnes qui egressi fuerant, [profligantur a paucis:] incurrentes in cohortem equitum quinquaginta & turmam peditum plus quam quingentorum, eos compulerunt in flumen, mactandos a Christianis qui cum navibus suis occuperaverant ripam: atque ita magna strages eo die est facta *, Quia tamen consueverant Mauri cum navibus suis sæpe accedere illuc, ubi classis Christianorum stabat in anchoris; visum his est ponere insidias in quadam arbustorum densitate, media inter civitatem & exercitum suum. Mauris ergo ut consueverant venientibus, progressi in eos Christiani tam diu secuti sunt fugientes, quoad necatis circiter quadraginta, [navali pugna vincuntur & vincunt,] ceteri in tutum se receperunt. Alio porro die triremes suas in ipsum illum deduxerunt locum, ubi insidias tetenderant antea Christiani: qui omnium securi cum illac præterveherentur, subito erumpentium adventu ac multitudine consternati, coacti sunt fugam retro quærere, viamque vi facere, quod absque cæde hominum circiter triginta ipsis non licuit: ita par pari redditum fuit.

[96] Ceterum quia Christiani vehementer timebant navibus suis ab igne Græco, quem Mauri jaciebant; consuluerunt Ferdinandum Regem, [ad impactas fluminis alveo sudes] ecqua possent ratione amoliri periculum; qui respondit, successurum illis qualecumque remedium excogitassent. Illi ergo trabes duas crassissimas altissimasque in medium flumen defixerunt, qua Maurorum navibus transeundum erat. Quod cum fieret, ægre admodum ferentes Mauri, & transitum sibi præcludi videntes, rem impedire conati sunt; itaque fiebat, ut ad trabes istas quotidiana committerentur certamina. Cum autem die quadam minus attenderent sibi Christiani, venerunt Mauri in lembis suis, quos probe armatos habebant; & prius quam observarentur, grandibus funibus

unam trabium constringentes, eamque extrahentes de fundo, [sæpe certatur,] abierunt magno cum plausu propter successum. Raymundus autem Bonifacius, irritatus injuria & probro suis facto, assumptis triremibus suis bene instructis, accessit ad ipsam navium Mauricarum stationem, seque de iis egregie est ultus, multis barbaris occisis & captis, nec paucioribus submersis; abduxitque secum grandiorem navem unam satis pretiosam, cum minoribus quatuor, nullum ipse passus damnum suorum.

[97] Hunc in modum quotidie inter Christianos ac Mauros terra & aqua res gerebantur: habebant autem Mauri quoddam balistariorum arcuum genus, quod adeo certos validosque perferebat ictus, ut excussum telum transiret equitem, quantumcumque gravibus armis munitum: cumque eo utebantur, evibratis telis in naves Christianorum, adeo celeriter recipiebant sese, ut consequi eos Christiani nequirent; hoc vero sæpe facientes magnum inferebant terrorem & damnum. [crebro excurrentium lembi,] Suos ergo videns aliquando Ferdinandus sine fructu reverti, mandavit Raymundo Bonifacio, ut iterum venturis Mauris poneret insidias aliquas, eisque si posset illuderet. Ille ergo navigia duo bene instrui & generoso milite mandavit impleri, collocarique intra hortum quemdam Aycafæ, ex parte Axarafæ, abscondique & operiri ramis, sic ut conspici nequirent: paratas etiam esse jussit triremes, in subsidium dictorum navigiorum, quandocumque opus foret. His ita dispositis venerunt Mauri in lembis suis, omnino securi nec aliquid insidiarum suspicantes; ad locum tamen earum cum venerunt, ibidem substiterunt. Christiani ergo ut eos pertraherent quo volebant trans ipsum locum, suorum unum, Arabice scientissimum, immiserunt in flumen, tamquam esset Maurus, [trahuntur ad insidias sibi positas.] qui natatu evadere cupiebat ad lembos. Hoc itaque Arabice vociferante & auxilium inclamante, festinaverunt Mauri eidem succurrere; itaque

prætervecti sunt locum, ubi occultabantur Christiani. Hi autem, navigiis mox in aquam protractis, subsequi prægredientes cœperunt; & triremes ex parte altera iisdem occurrentes, medios intercepere Mauros, frustra reditum ad civitatem tentantes. Ita lemborum unus captus est, Maurique in eo venientes occisi omnes, exceptis quatuor quibus vita servata: secundus autem lembus, dum altero capiendo occupantur Christiani, evadere se posse speravit, sed frustra: nam & in hunc victores insilierunt, præcisisque remis fugam inhibuerunt, & gemina præda læti redierunt ad ceteros, nullo damno accepto.

[98] [Ad vacua iterum castra progressos prædones insequendo] Iterum porro contigit ut militibus in varia partitis, scilicet ad tutandos pabulatores, ad impediendum commeatum inferendum in urbem, ad excursionem aliquam in Mauros, & demum ad excipiendum Infantem Alfonsum Murcia venientem, castra Regia pene desolata manerent. Tali occasione venientes Mauri equites ex Gazulis decem, audacter ingresfi sunt versus tentorium Prioris S. Joannis; sed nihil repererunt quod auferrent, præter paucas vaccas ante illud oberrantes, quas continuo abigere studuerunt. Prior vero cum Fratribus nonnullis, injuriam animadvertens, sumptis mox armis progressus & insecutus est prædones; qui, dimissis inter oliveta vaccis fugam capessiverunt. Tum Prior receptas vaccas, armigero cuidam per occultam semitam reducendas commisit; ipse vero fugientes aliquousque secutus, receptum cogitabat; cum vidit peditum suorum aliquos longius progressos periclitari de vita, si dimitterentur soli. Hos ille ut recolligeret, equites suos promovens, incidit in locum, ubi centum quinquaginta equites Mauri cum multo peditatu se latenter abdiderant. Videns igitur præclusum sibi receptum ad castra, adeoque aut pugnandum aut moriendum, [deducti ad insidias Christiani pauci,] licet viginti solum equites apud se habens & pedites paucos,

tamen generose in hostem invectus est: quorum multitudine cito obrutus fuisset, nisi eodem ardore sui omnes pariter impressionem facientes, ducem eripuissent periculo, amisso Equite uno Commendatore Sietefillæ & scutiferis septem. Tum vero recruduit pugna, tanto generosior ex parte Christianorum, quanto spes minor erat evadendi periculum; idque agebant tantum, ut ne inulti morerentur: quare ex his universim viginti, ex Mauris longe plures occubuerunt: donec denique totis castris clamatum est ad auxilium, Priori jam capto vel mortuo (ut credebatur) ferendum. Tum scilicet, egressis inter primos Episcopo Cordubensi D. Guiterio & D. Sancio Episcopo Coriæ, cum delectis Equitibus satis multis, [post acrem ac longam pugnam juvantur a suis,] ad festinatum eorum adventum, cœperunt Mauri receptum circumspicere, dimissis quos cinxerant Christianis; quare advenientes subsidiarii, paucos solummodo pedites in fuga tardiores assecuti, satis habuerunt Priorem non sine clade aliqua salvum recepisse.

[99] Alia die D. Henricus, cum Magistris Calatravæ atque Alcantaræ, [Spoliant suburbia Hispalensia,] nec non D. Laurentius Xuarez & Prior Hospitalis S. Joannis, communi consilio ad spoliandum suburbium Benaljofar a dictum noctu egressi, magnum ei loco damnum intulerunt, bona ejus parte incensa, abductisque pecudibus & jumentis non paucis, cum multa præda vestium rerumque aliarum: licet non sine vulneribus multis, quæ receperunt a barbaris, quorum plurimos vulnerarunt atque mactarunt, & sic tandem victores redierunt in castra. Iterum vero iidem Equites cum Infante Henrico ad suburbium alterum, Macarena dictum, per nocturnas invecti tenebras, [Mauros ex insidiis occupant,] plurimos Mauros occiderunt & ferierunt: locoque ex parte combusto & spoliato, cum opulenta præda regressi, desolatum dimiserunt. Hujusmodi autem incursus multi facti sunt durante obsidione. Interim Rex Ferdinandus, recepto ad

se Infante Alfonso, qui Murcia accersitus venerat, propius urbem castra admovere constituit; mandavitque Infanti ut metaretur intra olivetum civitati propinquum, ipse vero cum reliquo exercitu Tabladæ substitit: quod perquam moleste tulerunt obsessi. Igitur Alfonsus, cum loco sibi præscripto metatatus esset, militibus suis & Aragoniis a Rege Jacobo submissis imperavit, ut quod e re videretur pararent: qui constituerunt erupturis mox Mauris insidias ponere, quod & fecerunt. Et Mauri quidem (ut credebatur) excurrerunt; sed qui erant in loco insidiarum positi, citius quam par erat egressi, fortiter nihilominus rem egerunt; cumque iis se Infans Alfonsus junxisset, simul omnes secuti sunt fugitivos, mactantes & cædentes usque ad portas civitatis. Aragonii vero, propriam aliquam gloriam cupientes, separaverunt se ab Alfonso, quod eis nequaquam bene cessit.

[100] [pauci plurimos fundunt semel] Duobus post adventum Alfonsi Infantis mensibus, venit cum novis copiis etiam D. Didacus Lopez de Haro: qui optime receptus, metari jussus est circa portam Macarenæ, jussus etiam est eidem se jungere Rodericus Gonzales de Galicia. Mauri autem videntes quod milites horum duorum Equitum non erant valde numerosi, sæpius contra eos erumpebant, quotidie lacessentes, semper tamen generose excepti. Quadam ergo die equites ex Gazulis Mauris fortissimis multi, cum congruo peditatu progressi contra D. Didacum, cum eodem ad pugnam egresso aliquamdiu ancipiti marte pugnarunt; sed denique, victoriam Christianis largiente Deo, compulsi in fugam sunt; & quamvis aliquoties sese converterent ad resistendum, multitudine freti & hostium paucitate, [iterumque.] identidem tamen acti sunt retro usque ad portas civitatis. Christiani vero, multis equis obtentis, ovantes regressi sunt ad stationem suam. Alias iterum contra prædictos duos Equites emissum e civitate est omne robur Maurorum, ordinataque bene acie

progrediebantur ad pugnam: expectabant autem eos obviam egressi Christiani, nihilo minor cum fiducia. Infans vero Alfonsus, qui, promota ultra locum designatum statione, jam progressus erat trans fluvium supra Trianam, videns tantam Maurorum multitudinem, contra eos qui erant in altera ripa progredientem; confestim conscensis navibus trajicere properavit ad auxilium periclitantium: quo facto & Mauris se ultra non moventibus, quies utrimque fuit diesque elabebatur: quare priores se Christiani moverunt, sed Mauri expectare eos non ausi in civitatem se receperunt.

[101] Eodem tempore & obsidione durante, Almogavares, qui erant in castris Ferdinandi, pro sua quique virili parte fatigabant Mauros, nunc incursione aperta vastando agros, [vario marte pugnant Almogavares,] nunc ex insidiis rem agentes, ea qua fieri solet in obsidionibus fortuna, dum utrimque ingenium solertiaque intenditur in mutuum damnum. Contigit ergo aliquando ad eum locum, ubi Christiani insidias posuerant, appropinquare multo copiosiores Mauros quam expectaverant. Quare videntes se latere difficulter posse, generose egressi in occursum sunt; sed Mauri tam validum impetum in eos fecerunt, ut fugere compulerint amissis viginti. Atque ita Almogavares hac vice victi sunt, sed aliis deinde vicibus se egregie ulti. Magister etiam Templi, in statione sua sæpius impetitus a Mauris, [Templarii fortiter agunt:] & toties iteratarum molestiarum pertæsus, mane quodam sub auroram exivit, seque in insidiis collocavit cum suis tam prope civitatem quam potuit. In horum manus cum incidisse se viderunt Mauri, solito more egressi, conati sunt quidem sese recipere in urbem; sed non ita cito fugere potuerunt, quin equites e suis septem, pedites autem plures quam centum amitterent. Itaque factum est, ut sæpe repulsi barbari, multum remiserint de fiducia egrediendi, qua initio utebantur.

[102] Solebant etiam iidem Mauri sæpe erumpere per portam Alcazarii, quæ est propinqua vico nunc appellato Judæorum; transeuntesque per pontem Guadayræ aggrediebantur castra Christianorum, [Victoriam fervidius prosequentes aliqui] ac multis illatis quotidie damnis recipiebant sese ad pontem. Quibus indignatus D. Laurentius Xuarez, inito consilio cum Garcia Perez de Vargas & Equitibus aliis, ut eos deinceps ab hujusmodi cœptis absterreret, egressus cum iisdem est ad ponendas insidias. Dum autem irent, edixit omnibus, quod si forte ad manus veniretur cum Mauris, eosque contingeret in fugam dari, nemo procurreret ultra pontem Guadayræ; fore enim ut ibi perirent, quandoquidem ab exploratoribus didicerat, trans pontem illum, inter pontem f & civitatem, resedisse magnam vim Maurorum, cui resistere non possent si pontem ingrederentur. Hoc autem dicebat, experiri volens quid acturus esset Garcias Perez: itaque se collocaverunt expectaturi Mauros, solito more trans pontem venturos contra castra. Cum ergo venissent, & locum insidiarum transiissent, prodiere in hostem qui latebant, accepto signo a D. Laurentio, adeo ferociter insilientes in eos, ut Mauri cœperint se recipere trans pontem, [dimissum inter Mauros Garciam Perez] insequentibus usque eo Christianis. Illis autem hic pedem figentibus, iidem Christiani eos generose pepulerunt trans pontem, multis fugientium in flumine demersis. Porro victoriæ dulcedine abreptus Laurentius, jam pervenerat usque ad medium pontem, unde rediens atque post tergum respiciens, & animadvertens Garciam Perez minime sequi; recurrit ad pontem, viditque permixtum Mauris periclitari, quatuor eorum jam præcipitatis ab equo.

[103] Tum vero Laurentius, Decepit nos, inquit, Garcias Perez, eo progressus ubi nobis opus erit manibus strenuis uti, si eum velimus recipere salvum. Hoc vero formidans, caveram ne quis nostrum transiret pontem. Verumtamen,

quoniam eo loci nunc est, progrediamur in auxilium ejus; grande enim dedecus nobis foret, si tam insignis Eques per nostram culpam hodie amitteretur. Hic dictis irruerunt contra Mauros pontem tenentes, [ægre recipiunt hoste cæso.] feriendo, mactando, & præcipitando barbaros, quorum multi de ponte in flumen dati, alii ex ripa transitum natatu tentantes, submersi omnes sunt; ceteri turbatis ordinibus perquam confuse intulerunt se in portam Alcazarii, desiderantes e suis vice ista plus quam tria millia hominum. Cum vero redirent victores Christiani, dicebat eis Laurentius Xuarez, non invenisse se eatenus cui inferior haberi vellet animi & corporis robore, præter Garciam Perez, qui omnes eo die fecerat fortiter agere. Atque ex hoc tempore omnino non fuerunt amplius ausi Mauri redire ad oppugnanda castra Christianorum, sed quieti se continuerunt intra civitatem.

## ANNOTATA.

Liber quartus Theatri urbium, cujus Tabula 2 Hispalim exhibet in plano, cum nominibus portarum, platearum, ecclesiarum præcipuarum, atque etiam ædium suburbanarum, nusquam hujus nominis meminit: sed plura ex eo tempore mutata esse patet ex porta Alcazarii mox nominanda, ac Vico Judeorum, quæ hodie aliter nuncupantur. Zuniga existimat Benaljofar suburbium, istic fuisse, ubi nunc S. Bernardi dicitur; ad quem locum per portam Cordubensem exitur.

Macarenæ suburbium nomen dedit ei portæ quæ est in orientali urbis latere, incipiendo a Turri aurea septima inter decem.

Almogavares, inquit Mariana lib. 10 cap. 10, veterani, præcipua dexteritate & multis bellis adversus Mauros exerciti: [Almogavares inter Hispanos qui;] & hujusmodi militibus adscribit Rodericus supra initium expeditionis

Cordubensis. Discimus autem ex Nicephoro Gregora, una littera l extrita nomen corrumpente, Ronzerium, Regis Aragonum Petri genitorem, habuisse in exercitu suo mille Amagabaros, quos Latini Pedites appellant, Eadem voce usum Villanium Florentinum in Italia notat Carolus Macer, in Hierolexico fratris sui Dominici; docetque vocem Arabicam esse, ex Mghabbar, quod pulverulentum significat, & articulo al compositam, addita Euphoniæ causa vocali inter m & g. Sed quale genus militiæ isti haberent clarißime explicatum reperitur in Historia Catalauniæ, quam seculo 13 ad finem vergente scripsit Bernardus Desclot, continentem ies sui temporis, eas præsertim quas geßit Petrus Aragoniæ Rex ab an. 1276 ad 1285, quamque Castellana linguæ redditam Raphael Cervera imprimendam Barcinonæ curavit an. 1616. [eorum militandi & vivendi forma.] Ibi libro 2 cap. 3 sic illi describuntur in litteris ad me datis, nam librum ipsum non vidi: Almugavarum professio est semper in armis vivere, extra habitationem communem, in montibus & silvis, continuo pugnando cum Mauris; in quorum terras excurrendo ad duas tresve diætas, struunt illis insidias, indeque revertuntur ad terras Christianorum, multa cum præda multisque captivis, unde illis tota victus ratio. Incredibile dictu est, quam laboriosam & asperam vitam agant, sæpe biduum triduumve impasti, aut solis campestribus herbis sese sustentantes, citra fastidium aut molestiam. Totus eorum vestitus & apparatus, sagulum unicum est perquam breve, hieme non minus quam æstate, cum femoralibus coriaceis valde arctis; gladius acutissimus & minime latus, ex corrigia robusta pendens; hasta seu minor lancea; jacula duo, cum ascopera in humeris, in qua ferunt bidui triduive cibum, cum fomite & silice ad ignem. Admodum expediti ad incurrendum recurrendumque sunt, & omnes fere ex montanis Aragoniæ, Cantabriæ vel Castellæ, ac plerique Nobiles, qui facultatibus ad vitam in urbibus tolerandam destituti, ad Maurorum confinia se recipiunt, rapto ut dixi, victuri,

quoniam alia iis nec res nec spes est; tales nempe quales in Hungaricis bellis identidem nominatos audimus, Haydones, vel Hussaros.

Porta Alcazarii, de quo infra num. 112, olim stetit inter Portam Xeresiam & illam quæ a Carnibus nomen habet, cujus arcus ab annis 50 adhuc cernebatur. Qui autem, tunc cum scribebatur Chronica, Vicus erat Judæorum, nunc occupatur a parochiis S. Mariæ Candidæ, S. Crucis, S. Bartholomæi, & ex parte etiam S. Nicolai; protegebaturque ea parte muri, qui inter Carmonensem portam atque prædictam portam Alcazarii tenditur.

Ex Chronica Generali intelligitur, tam in titulo Capitis 60, quam in contextu erratum a vulgatæ editionis curatore, dum portam pro ponte legit. Guadayra autem rivulus est Tabladam percurrens, ducto ab Alcala principio, & una circiter Hispalim leuca in Bœtim se ingerens.

Est autem trans pontem usque ad muros civitatis planities æqua, ad spatium mediæ circiter leuca, in quam facillime procurrere Mauri equites & majori numero circumvenite pauciores Christianos poterans. Quæ ultima tria puncta Hispalensium nostrorum litteris didici.

## CAPUT XVI.
## Varia ad Trianensem pontem arcemque fortuna partium.

[104] Habebant Mauri pontem ligneum, navigiis instratum, & catenis ferreis perquam firmiter connexum, [Trianensi ponte navali destruendo,] ea parte qua transibatur ab urbe Trianam: qui pons magno commodo obsessis erat; sublatus autem ad extremam eos poterat rerum omnium penuriam deducere. Ferdinandus ergo, cui propositum erat vel urbem capere vel in ejus obsidione mori, considerans omnem annonam omneque auxilium

civitati per pontem istum venire, itaque differri cupitam victoriam, forte etiam se numquam potiturum ea; in consilium advocavit Raymundum Bonifacium & alios maritimarum rerum expertos; eosque jussit excogitare modum quo posset pons Trianæ frangi. Post longam deliberationem, imprimis placuit accipere e tota classe navigia majora ac firmiora duo, [parata navigia duo,] eaque instruere omni necessario apparatu, ac denique expansis velis immittere in pontem. Intravit autem Raymundus in unum eorum cum congruo numero suorum: alterum vero conscenderunt ii quos idem Raymundus ad hoc delegerat: quando circa meridiem ventulus aliquis assurgens, rei bene agendæ spem fecit. Huic intenti Christiani, naves prædictas aliquanto spatio siverunt flumine secundo delabi, ut ex majori intervallo accipientes deinde impetum, vehementius in pontem impelli possent.

[105] Dies sanctæ Cruci sacer agebatur & mensis Majus, [in festo inventæ Crucis,] quando tentanda res erat. Jussit igitur Ferdinandus Rex, pro sanctæ fidei exaltatione servituris navibus aplustria imponi crucibus sericeis signata: quæ cum tensis quantum ventus aspirabat velis sursum proveherentur, subito requievit aër, & remittens se ventus mœstitiam movit Christianis. Sed brevi alius isque valentior ventus insurrexit: quo impellente provectæ sunt naves, frustra id conantibus impedire Mauris, qui per Arenariam a dispositi, arcubus balistisque & fundis atque omnis generis machinis jaciebant majora minoraque tela, [rem conficiunt.] quod idem fiebat a custodibus Turris-aureæ, & ex altera ripa a præsidiariis Trianensibus: sed exiguo utrimque cum damno. Itaque prior navis, quæ secundum latus arenariæ provehebatur, acta in pontem est; sed confracto in quod impegit navigio, ipsum pontem frangere ac perrumpere non potuit. Hoc autem fecit navis altera, qua Raymundus Bonifacius vehebatur, magno cum plausu spectantium rem eminus Christianorum; quorum

Rex Ferdinandus, volens fracto jam ponte tutum navibus prædictis receptum parare, cum filio Alfonso multisque Equitibus ac numeroso milite, impetum fecit in Mauros arenariam insidentes, omnesque retrusit in civitatem. Exhinc cœperunt Mauri rebus suis omnino diffidere, præcisa cum ponte etiam spe omnis ulterioris subsidii.

[106] Rex autem, cum filio & Magistris Ordinum totoque exercitu, movit contra Trianam, [Triana ipsa obsessa] eamque cœpit ex omni parte quatere; accesserat enim eo per flumen etiam Raymundus Bonifacius cum universa classe. Verumtamen Christiani, tam aqua quam terra, grandia patiebantur incommoda a saxis sagittisque, ex castello in ipsos continuo denseque emissis: quod animadvertens Ferdinandus, neque id pro tempore caveri a se posse, receptui signum dedit. Cupiens nihilominus obtinere locum, moram alioqui facturum victoriæ de civitate speratæ, Infantem Alfonsum aliosque filios suos, D. Fredericum & D. Henricum, emisit ad castellum propius lustrandum: qui mandata patris executi, jusserunt fieri crates ac vineas, quibus protectus miles ad murum subiret. Comitabantur eos Magister de Ucles, D. Rodericus Gomez, & D. Rodericus Flores, Alfonsus Tellez & Petrus Ponce, qui stationem ceperunt ad Trianam juxta flumen, totusque eodem mox accessit exercitus: & pars adoriri vi aperta castellum cœpit, pars ad illud cuniculum ducere. Sed latere Trianenses conatus iste non potuit: quare cuniculo e contra acto occurrerunt fossoribus Christianorum, atque in omne periculum tam vigilanter intenderunt, ut Christiani desierint cuniculos nihil proficientes moliri. Mauri porro Trianenses, [frustra oppugnatur.] qui per pontem jam ruptum sperare auxilium nullum poterant, collatis ex omni circum regione necessario ad sustinendam obsidionem apparatu, non desponderunt hic animos: sed crebris eruptionibus fatigabant obsidentes, & balistis quas habebant fortissimis fundisque tela & saxa jaciendo, haud parvum

nocumentum inferebant. Judicavit ergo Rex Ferdinandus, murariis tormentis & machinis sibi esse opus ad oppugnationem promovendam: quibus paratis & admotis, fortiter quidem quatiebatur castellum: sed Mauri, suis contra machinis usi, adversas aut impedire aut etiam frangere conabantur: sæpe etiam erumpentes & mox sese recipientes, haud infeliciter fallebant adversarios, ardore pugnæ & hostis persequendi propius protractos ad munitiones, a quibus non facile erat absque damno reverti, quantumcumque ageretur caute. Atque in hunc modum ducebatur tempus ad castellum, aliis illud expugnare, aliis propugnare nitentibus.

[107] Interim ad castra venit nobilis quidam, ex iis quos Infanzones nominant: qui ibi conspiciens Equitem, [Quidam indignatus Garciæ Perez propter scutariam tesseram;] eadem qua ipse tessera militari utentem, undis scilicet albis & cæruleis, accessit ad alium Equitem, indignans quod eadem qua ipse tessera uteretur aliquis minoris conditionis, dicensque quod eam ipsum cogeret abdicare. Cui is qui inter rogabatur respondit, idemque affirmarunt alii præsentes, etiam atque etiam videret quid inceptaret. Iste enim, inquiebant, Eques, licet exteriori habitu despicabilis videatur, est Garcias Perez de Vargas, Eques honoratus & in dignitate positus, mireque generosus & fortis in armis, qui si verba tua intellexerit, haud facile manus ejus evades: tantum enim in armis valet, ut ceteri Equites libenter ei primas deferant. His ille auditis verecundatus conticuit: res autem, nescio quo deferente, ad aures Garciæ Perez pervenit, qui quidquam se scire dissimulavit. Quodam autem die, [eodem contra Mauros pugnante fortiter] cum simul ad claustra castrorum observarent ipse & Nobilis iste, Equitesque nonnulli alii; egressi Triana Mauri, nonnullis Christianorum cæsis, accedebant versus ipsos illos Equites, uno inter ceteros præcedente atque monstrante, quod eorum aliquem ad singulare certamen

deposceret. Hoc viso, Garcias Perez subdidit equo calcaria, & Maurum tam felici ictu perculit, ut eum in terram prosterneret: tum ceteri similiter in Mauros provecti, pepulerunt eos usque sub arcem. Hic enimvero pugna recruduit, animadversa paucitate Christianorum, ita ut totum fere diem duraret. Validis autem utrimque ictibus agebatur res, lanceis, gladiis atque clavis, dum interim ex arce densissima sagittarum ac lapidum pluviæ mittebatur in Christianos, quorum sane multi læsi fuerunt, sed multo plures Maurorum cæsi: atque ita his intra arcem compulsis, isti victores reverterunt in castra.

[108] Ingentia eo die facinora Garcias Perez ediderat, ictusque tam multos & grandes clypeo suo exceperat, [& tesseram in conflictu abolitam referente,] ut totum pene confractum referret, atque e tessera undarum eidem appictarum nihil amplius appareret. Videns ergo Infanzonem prædictum, ad claustra castrorum eodem loco consistentem, ubi eum dimiserat (nec enim inde se moverat) Domine, inquit, Eques, talibus in locis depono ego tesseram undarum, quæ expungitur eo quem vides modo: si placet, altera vice, quando Mauri redibunt, simul ambo egrediamur in occursum; ibi apparebit uter nostrum magis mereatur undas istas gestare. Non fuit Equiti illi, jam pridem dictorum a se temere verborum pœnitenti, gratus sermo; jamque metuebat, ne suas ipse undas cogeretur deponere; quapropter voce modesta respondit: [atque ad simile experimentum provocante,] Domine Eques, bene tibi convenit undulata tessera, multumque decoris ipsa ex te recipit, ac majori deinceps in pretio erit: obsecro te, ut tamquam generosus, qualis es, ignoscas mihi, si quid contra te locutus sum priusquam haberem cognitum. Benigne, quod petebat ille jam bene humiliatus, indulsit Garcias; gratiasque accepit a supplice suo, multum gaviso, quod tam parvo culpani redemisset. Scivit autem rem gestam D. Laurentius Xuarez & Regi Ferdinando retulit, vehementer probanti

factum, utpote cui jam pridem notus erat Garcias: [confunditur.] mox autem totis vulgata castris, confusionem haud modicam attulit Nobili isti; passim enim explodebatur, & interrogabatur, ecquid ei cum Garcia Perez accidisset.

[109] Eodem tempore D. Arias Archiepiscopus S. Jacobi venit in castra, & stationem sibi elegit circa Tagarete; moxque infirmari cœpit tum ipse tum comites sui. [Mauri infestantes stationem Compostellani Archiepiscopi,] Mauri ergo, videntes ipsum adeo procul abjunctum ab aliis, frequentius incurrebant in eum, & magna inferebant damna. Hoc cognoscentes D. Petrus Ponce, D. Rodericus Flores, & D. Alfonsus Tellez; atque inurbanum ac minime ferendum rati, quod adversus infirmum Archiepiscopum adeo insolenter agebant Mauri; conspirarunt ut eis insidias struerent. Quare accersitis viarum ductoribus, quorum unus fuit Dominicus Muñoz, illarum expertissimus, idemque vir fortis ac generosus; assumpserunt secum equitatum aliquem ex copiis Infantis D. Alfonsi, modicum illum, sed bonum; seque convenienter disposuerunt, & venturis Mauris ad se pertrahendis exposuerunt oves Archiepiscopi. Ut ergo venerunt barbari, ovesque a statione aliquantum abjunctas sunt conspicati, pertranseuntes insidiarum locum, abigere eas cœperunt: sed egredientibus qui latebant, dimissa præda fugam inierunt qua quisque poterat. [castigantur.] Insecuti autem eos Christiani, ferientes atque mactantes, sic castigarunt, ut plerique in loco occubuerint, interque illos equites Gazulæ quinquaginta ex generosioribus (ex istis enim erant qui prodierant) peditum vero ad quingentos: pluresque periissent, si non tam cito ex insidiis suis prodiissent Christiani.

[110] [Pabulatorum custodes ab eisdem invasi] Solebant equites Ferdinandi Regis, per vices cohortesque suas egredi ad custodiam pabulatorum, secundum ordinem a

Rege constitutum. Quodam ergo die, cum vices custodiæ obvenissent Didaco Sanchez & Sebastiano Gutierrez, exiverunt cum equitibus viginti: viderunt autem eos centum quinquaginta equites Mauri, Xerez egressi; contemptaque Christianorum paucitate, irruerunt super illos. Qui in orbem collecti, defendebant se quo meliori poterant modo, Mauris circumquaque prementibus, tantumque non obruentibus telorum ac sagittarum multitudine. Sed profuit Christianis consilium, quo jacta in se missilia frangebant omnia, non retorquebant in hostem: læsi tamen fuerunt ambo duces, ex quibus Sebastianus Gutierrez statim expiravit; Didacus vero Sanchez nequaquam evasisset, [ægre mortis periculum evadunt.] nisi fideliter adjutus a suis fuisset. Hi autem adeo fortiter se premi sentientes, aliquoties impetum fecerunt in hostem: fuitque tam pertinax utrimque pugna, quia neutris subsidio veniebatur, ut totum fere diem tenuerit. Christiani vero omnes, nimio fessi labore, mactandi fuissent vel capiendi, nisi tandem, audita in castris Regiis prælii fama, itum fuisset in auxilium: quo viso receperunt se Mauri, & prius se muris incluserunt, quam assequi eos possent qui sequebantur. Alias accidit, ut equites ad pabulatores tuendos designati, serius egrederentur, atque prægressi illi in Mauros inciderent: qui cæsis circiter ducentis viris, jumenta multa abduxerunt, prius quam advenientes præsidiarii attingere eos possent.

[111] Eques Maurus, ex voto peregrinus, Andaluziam intraverat, [Simulatus transfuga spe sua frustratur.] Hispalensibus Mauris adjutor futurus: qui eos videns tam arcte obsideri, modum aliquem ultionis per fraudem de Christianis sumendæ excogitavit, communicavitque cum obsessorum Primoribus. Probato eo, misit ad Alfonsum Infantem qui nuntiaret, quod ei traditurus esset duas turres quas tenebat, tantum cito veniret ad eas occupandas. Suspecta Alfonso erat fides Maurica;

ideoque non ausus ire ipse, pro se misit D. Petrum de Guzman cum aliquot equitibus; quos neci continuo destinarunt Mauri: sed D. Petrus fraude agnita, subditis equo calcaribus, velocissime se recepit aliique post eum; insequentibus Mauris, & unum, qui minus cito ab iis se expediverat, assequentibus, quem etiam occiderunt: de reliquo votis suis insidiisque frustrati sunt *. Rex porro Ferdinandus, [quotidiani conflictur partium.] videns Archiepiscopum S. Jacobi infirmari, ipsum, cum majori suorum patre œque infirma, in propria remisit curandum; transivitque ad stationem ejus Magister D. Pelagius Correa cum suis, juxta muros civitatis: usque eo enim hæc stringebatur, nec nisi natatu poterant Mauri egredi: non tamen propterea cessabant ultro citroque Hispalenses ac Trianenses inter se commeare, non valentibus Christianis claudere aquas. Ægre valde id ferebat Ferdinandus Rex, multumque angebatur, quod neque commercium istud communionemque præsidii & auxilii mutui posset præscindere, nec Trianam pugnando obtinere. Advocato igitur in concilium Raymundo Bonifacio & reliquis nauticæ rei peritis, deliberavit de transitu illo occludendo, atque ad eum finem voluit arenariam occupari, admotis illuc triremibus suis. Sed Mauri tanta mox copia se effuderunt in occursum, ad prohibendum transitum, ut tota die peragi nihil potuerit.

## ANNOTATA.

A Turri-Aurea usque ad Portam Almeniliæ, inquit Morgadus, Arenaria ea extenditur, id est secundum totum latus urbis Occidentale, reflectendo per Boreale urbis cornu ad latus Orientale, ubi secunda a dicto cornu porta Almaniliæ est. Latißima tamen est Arenaria in spatio, quod inter Turrim prædictam & pontem procurrit, ubi, inter Portam Trianensem & Postica Ataracanarum, [Arenaria Hispalensis.] id est Armamentarii (hodie Postica Carbonaria dicta) media est speciosißima nunc

Porta del Arenal: Morgadus autem tam spatiosam Arenariam esse asserit, ut capere possit plusquam quinquaginta millia bellatorum, præter suburbanas domos, quæ tunc nullæ erant.

De Infantionibus multa & erudita Cangius: eorum tria genera apud Aragones distinguit Vitalis Episc. Oscensis. Michael de Molina in Repertorio, Militum filios appellat, ita ut hi nascantur illi creentur.

Tagarete rivus initium sumit ad latus Boreale civitatis; & hortos Archiepiscopi rigans, transit per pratum S. Iustæ, [Tagarete rivus Hispalim alluens.] cui aërem valde insalubrem reddit vaporibus suis, si quando tempore æstivo exundat: inde sub aquæductu Carmonensi decurrens, usque ad portam Xeresiam deinceps civitati pro fossa est, ad pedem Iurris aureæ influens in Bætim. Metabatur ergo Archiepiscopus ad partem Vrbis Borealem, e regione portæ Macarenæ, prohibens nequid illac victualium inferretur.

In titulo Capitis 66 Maurus iste proprio nomine appellatur Orias: quod forte e textu excidit per incuriam transcribentis; exprimitur tamen mox infra num. 112.

Nempe, rupto ponte Trianensi, minus necessaria erat Statio tertia trans flumen ad urbem fame cogendam; quod Regem sperare ausum cum exercitu tam exiguo, pene fidem superaret, nisi factum doceret tam certa historia.

## CAPUT XVII.
## Deditio Hispalensis urbis ejusque descriptio.

[113] Expectatione sua circa transitum frustratus Rex Ferdinandus, [Capto Oriæ Mauro] edixerat, præmia se largiturum ei, qui ipsum impedire posset. Cum ergo

quadam die Hispali Trianam transisissent Orias & alii quidam Mauri sine obstaculo ullo, non ita expeditum invenerunt reditum: siquidem Raymundus Bonifacius eis se objecerat, cum navibus & lembis bene armatis. Quo viso, reditum ad suos desperans Orias & qui cum eo erant, petierunt adduci ad colloquium Regis. * Hic vero ad audiendos eos misit Rodericum Alvarez: ac primam ab iis propositam conditionem attulit ex parte Axatafi, [agitur de urbis deditione.] quod arcem Hispalensem Ferdinando traderet, pecuniam vero annue pendi solitam Miramolino, ipse & Axataf partirentur; itaque Mauri permitterentur manere in civitate. Sed Rex, qui eos tam arcte constrictos tenebat, nec audire quidem voluit conditionem ejuscemodi: quare alias a ei obtulerunt Mauri, quas æque rejecit; omnino volens civitatem sibi liberum ab illis relinqui. Tum denique petierunt ut regredi sibi liceret, cum liberis, uxoribus, & facultatibus suis: quod si ad Regis militiam transire vellent aliqui, in ea reciperentur: atque in hanc conditionem Rex non invitus consensit. Petierunt deinde, ut liceret sibi æquare solo Mezquitam majorem: quod Rex arbitrio filii sui Alfonsi reliquit: hic vero respondit, quod si vel unicam tegulam inde dejicerent, nec Maurum nec Mauram vivam dimitteret ex tota civitate. Tum supplicarunt ut saltem liceret sibi demoliri turrim, pro qua essent aliam fabricaturi: sed etiam ad hoc respondit Alfonsus, quod vel propter laterculum unum ablatum Mauros omnes esset interfecturus. Ergo nihil his profici videntes Mauri, [qua conclusa urbem obtinet Rex 23 Nov.] promiserunt quod intra septem dies evacuatam urbem tradituri essent. Atque ita obtinuit Rex civitatem in die S. Clementis XXIII Novembris anno MCCXLVIII. * Firmatis deditionis faciendæ conditionibus, continuo Alcazarium traditum Regi est, & Mauri ab eo petierunt unius mensis spatium, [& Maurio egressis,] quo possent quæ collibitum foret vendere. Hoc autem obtento, distractaque qua volebant carere supellectile, ac pretio recepto, claves civitatis tradiderunt Regi, liberam eam

vacuamque facturi; quibus Rex mandavit ituris mari naves atque triremes consignari, terra autem discessuris jumenta & custodes præberi, qui salvos ubi optassent sisterent. Egressi autem versus Xerez sunt terrestri itinere trecenta hominum millia, quos comitatus usque Xerez est Magister Calatravæ.

[113] Ipse vero nobilis-Rex Ferdinandus, cujus tot illustria gesta refert præsens Historia, [eam 22 Decembris ingreditur,] nobilissimam civitatum Andaluziæ Hispalim ingressus est in festo Translationis S. Isidori, quondam Hispalensis Episcopi XXII Decembris; solenni cum processione exceptus ab Episcopis & plurimo Clero, communique gratulatione laudantium Deum ac benedicentium, propter favores Regi impensos, tantasque victorias de fidei Christianæ inimicis concessas. Ingresso autem Rege in ecclesiam S. Mariæ, Missam celebravit nobilis quidam Prælatus D. Guiterius, Electus Toletanus: qua finita Rex abiit ad arces suas, comitatus Magnatibus omnibus; festumque ibi diem cum iis agens, cunctis lætitiæ signis eum celebravit. [post infinitos 16 mensium labores,] * Incredibile porro est quantis laboribus vigiliisque Ferdinando steterit conquisitio civitatis prædictæ; quantis periculis ærumnisque, in tot præliis, excursionibus, velitationibus; in adducendo ad castra sua commeatu omnis annonæ, eumque hostibus præscindendo; inter plurimas suorum mortes, necessariarum rerum defectus frequentes, assultus Maurorum fere quotidianos, gravesque & vulgatos per exercitum morbos, quos generabat intensissimus æstus, aërem sic inflammans, ut sudore omnium diffluerent corpora, castrensibus operibus pridem fatigata & debilitata. Habuerat autem idem Rex castra instar populosæ urbis, in plateas vicosque distributa; ut cuique opificum generi sua esset specialis habitatio, in quibus & textores, & campsores, & aromatarii, & pharmacopœi, [in castris ordinatissimis, exantlatos.] & frænarii

nominabantur: fora item piscaria & macella: ut quicumque illa vidit, dicere potuerit, nihil illis castris magis ordinatum, opulentum ac nobile se conspexisse, nequidem in potentissimis civitatibus. Ita enim ibi fixus hærebat exercitus, cum mulieribus, infantibus, supellectileque domestica, ac si perpetuo habitandum eo loci fuisset: sciebant enim omnes, Regem Ferdinandum habere propositum, imo votum, toto vitæ suæ tempore numquam discedere nisi capta urbe: certaque persuasio de constantia Regiæ in quocumque cæpto voluntatis, fecerat homines undequaque affluere, ibique tam fixe permanere i.

[114] Sexdecim menses operi isti Rex beatus impendit: & vero operæ pretium retulit. Est enim Hispalis circuitu amplissima, [Vrbi ornatissimis turribus instructæ,] conditione nobilissima civitas regionis totius: cujus muri altissimi, amplissimique ac fortes valde, ornantur turribus pulchre dispositis & eleganter elaboratis. Antemurale quoque ejusmodi est, ut quælibet civitas eo se solo perquam bene muratam crederet. In ripa fluminis ab aquis ipsis turris assurgit, Aurea nuncupata, propter venustissimam qua nitet speciem. De turri autem S. Mariæ quid dicemus, cum in ejus ornatum humana omnis industria consumpta videatur? Est autem sexaginta pedes lata, alta ducentos quadraginta. Scalæ interiores, per quas adscenditur, gradibus tam amplis planisque k assurgunt, ut mula vel equo conscendere eam Reges, Reginæ, ac Magnates possint. Supra hanc l turrim alia minor eminet, octoginta solum pedes alta, sed opere admirando fabricata: supra quam æneí m morbes seu sphæræ quatuor gradatim consistunt, ita ut minima summum locum teneat, secundum major aliquantulum; sub illis major sit etiam tertia: quæ licet omnes sint speciosissimæ, neque similes sibi fortassis uspiam habeant, quarta tamen & infima, ut magnitudine ceteras, sic & elegantia superat. Distinguitur enim quasi per

canales duodecim, singulos quinque palmorum amplitudinis; adeo ut cum inducenda hæc machina in urbem esset, nec ulla portarum satis ampla ad ipsam excipiendam, latior aperiendus aditus fuerit: quando autem radiis solaribus illuminatur, visendam se præbet plus quam spatio diurni itineris.

[115] Alia præterea ornamenta multa & prærogativas habet hæc civitas, [& totius orbis commerciis nobili,] paucis communes: ad ipsam enim ac pene sub muros ejus, appellunt undequaque advectæ naves ex Tanger, Zeuta, Tunez, Bugia, Alexandria, Genua, Lusitania, Anglia, Pisa, Burdegala, Bajona, Catalaunia, Sicilia, Vasconia, Aragonia, Francia, aliisque regionibus transmarinis, tam Maurorum quam Christianorum, qui ibidem omnes censent aliquos nationis suæ habitatores. Oleo præterea sic abundat, ut terra marique sufficiat magnis etiam regionibus, aliasque innumerabiles opes continet: & in districtu ejus numerantur centum millia prædiorum, absque portubus, unde ingens annue reditus provenit. Denique victoria hæc ex memorabilioribus fuit, quæ unquam tam brevi tempore relatæ in mundo sunt: cui credi possunt causam dedisse, primo ac præcipue divini favoris indulgentia erga servum suum, nobilem ac beatum Regem D. Ferdinandum: deinde eximia fides optimorum subditorum erga eumdem, quia nullus Rex umquam tam bonos tamque obsequentes habuit, quam Castellanos suos Ferdinandus; cum ipsa eorum natio ex propria natura Regibus suis fidelissima sit, præ alia quacumque; cujus utinam probitatem provehat Deus porro, evehatque ad sui honoris incrementum!

[116] Nobilissima autem civitas ista obtenta fuit anno Domini MCCXLVIII die S. Clementis, id est XXIII Novembris: & postea nobilis Rex Ferdinandus obtinuit alias multas civitates & regiones, [Rex sanctus statum ecclesiæ & politiæ ordinat.] suoque adjunxit imperio;

subjiciendo sibi Reges & regna, quæ ei clientelari jure subdiderunt se, tamquam Domino solventes tributa & vectigalia: quidquid enim cis mare ex parte Castellæ Mauri possident, in ejus venit potestatem. Primum autem opus Regis hic fuit, restituere pridem vacantem Sedem Episcopalem, ad Dei Matrisque ejus honorem, cui ecclesia ipsa est dedicata; stabilire in ea Canonicatus ac Dignitates alias, perquam bene fundatas; dotare illam multis possessionibus oppidorum atque vicorum opulentia insignium, præter ingentem gazam, quam donavit primo ejus o Archiepiscopo, Raymundo. Ecclesiasticis porro rebus tam bene dispositis, etiam politicum statum optime constituit, collocans in urbe habitatores omnium ordinum atque conditionum, quibus domos fundosque distribuit liberaliter; accersens etiam cunctarum artium opificiorumque magistros, & cuique generi suos sigillatim vicos tribuens; litteratos etiam ac doctos viros invitans; ea denique omnia curans, quæ civitatem aliquam ornare ac nobilitare possunt. Similiter & territorium circumjectum habitari colique præcepit: & civitatem magnis communivit instruxitque privilegiis, quibus gavisuri in posterum essent, tam qui illuc habitatum venirent, quam quos ibi ab initio collocavit, propter fidelem operam sibi navatam obsidionis tempore.

## ANNOTATA.

Morgadus ait secundas conditiones fuisse, ut Mauri Regi penderent totum quod Miramolino dabatur, [Dedendæ urbis conditiones, rejectæ.] & præter Alcazarium traderent partem tertiam civitatis: denique, ut traderent partem dimidiam cum eodem tributo, & suis expensis ducerent murum, qui utramque partem separaret.

Hunc diem festivum quotannis agunt cives, solenni cum proceßione, in qua circumfertur Gladius de sepulcro sumptus, [Anniversarium ejusdem deditæ.] quem creditur

in manibus habuisse Rex Sanctus cum urbem inveheretur; quod tamen non nisi uno post mense factum mox indicatur. Dicit autem Morgadus tunc Regi traditas claves urbis: moxque non solum arcem, sed omnes etiam turres & Mezquitam fuisse præsidio regio occupatas, post annos quingentos triginta quatuor, quibus civitas fuerat in potestate Maurorum.

Alcazarium olim dicebatur quod nunc Palatium, istic ubi Australe cornu civitatis a Turri-aurea versus ecclesiam majorem procurrit in modum trianguli: [Alcazarii Hispalensis situs.] cujus basis a dicta turri ultra portam Xeresianam se extendit, murisque ac turribus per singula latera denis aut pluribus instruitur, & versus ecclesiam suam portam habet quæ Palatii dicitur, propterea quod ducat ad palatium ibi situm: atque ita habes portam Alcazarii supra quæsitam, eique adhærentem Vicum Judæorum.

Centum millia hominum mari se commisisse scribit idem Morgadus, quibus Rex indulserit quinque naves, per Bætim subductas usque Hispalim, cum decem triremibus & una carraca, id est navi majori rotunda, qualem Nonius in Plautum videtur appellare Circerum, quam Navim Asianam prægrandem interpretantur Lexicographi: hæ tamen naves debuerunt sæpius ivisse & redivisse, ut tanta turba eveheretur.

Addit idem Morgadus concessum Axatafo, quem Maurorum Architalassum appellat, ejusque partiariis & fautoribus, ut qua possent meliori fortuna remanerent in Sanlucar, Aznalpharache, & Niebla.

De S. Isidoro ejusque translatione egimus 4 Aprilis: celebratur ipsa die 22 Decembris.

Roderico scriptori defuncto, sub an 1247 succedens Joannes Vxamensis, supra laudatus, [Guiterius Archiep. Toletanus] ac deinde Burgensis Episcopus, uno vix anno tenuit Cathedram Toletanam; suffectus autem eidem Guiterius, dicitur vixisse biennium in eo gradu, & obiisse anno 1250. Verum observat Zuniga, num. 23 hujus anni 1248, vacasse Sedem Toletanam adhuc mense Martio anni 1249. Cum autem ex Canonico Episcopus factus Guiterius sit, Electus licet, non potuit ejusmodi actione perfungi, quæ soli Episcopo consecrato competit, ideoque idem Zuniga suspicatur, erroris occasionem ex synonymia sumptam; & eum qui ecclesiam dedicavit fuisse Guiterium, Episcopum Cordubensem. Quia autem præcipuum domandæ urbis instrumentum fuit navalis illa machina, quæ pontem fregit; ideo credit idem Zuniga, Capitulum Hispalense pro Sigillo, cujus formam ex ipso infra repræsentamus, sumpsisse navim, tensis provectam velis, residente ad puppim Deipara.

Testis II super art. 54 in Summario, dicit ex historiis, quas legit & habet, quod sanctus Rex, quantumcumque gravatum se videret in expensis ad bellum faciendis, [Sancti abstinentia a gravandis bonis ecclesiasticis.] Deo tamen & justitiæ armorum suorum confidens, numquam aggravaverit populum sibi subditum novo aliquo tributo. Quæ ejus abstinentia maxime patuerit in obsidione Hispalensi; ubi cum hoc ei suaderetur, quin etiam suggerereretur, posse eum in causa fidei etiam uti argentea suppellectili ecclesiarum, quibus eamdem deinde copiose restitueret; responderit, aliud se subsidium ab ecclesiis earumque ministris non sperare quam orationes, aurum vero aut argentum nequaquam (sicuti in particulari narrat Mariana de Regis institutione) quantum autem ad regnum gravandum attinet, magis timere se maledictionem unius edentulæ vetulæ, quam totum exercitum Maurorum: posse enim Deum, qui tali loco ipsum posuerat, & regni defensionem commiserat, prospicere de mediis ad

victoriam necessariis, sicut eatenus fecerat: & hoc narrat Fr. Dominicus de Baltanas aliique. Marianæ libellus hic citatus ad manum mihi non est: Baltanas Dominicanus post an. 1560 obiit, eumque Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica scribit edidisse Compendium rerum Moralium in Hispania gestarum; & curasse ut ederetur apud Ioannem Truxillo Flos Sanctorum. In alterutro, Lector, credo, inveniet dictum, hic allegatum.

[Turris Hispalen. opus Maurorum.] Similibus gradibus etiam conscenditur tectum Basilicæ Vaticanæ Romæ; sunt enim plani & leniter solum acclines, sic ut ab angulo ad angulum mediæ turris, secundum cujus latera gradus isti ducuntur longitudine 23 pedum, solum enitatur quis sursum pedes 5; qui quater secundum numerum laterum replicati, faciunt ut singulæ cujusque lateris fenestræ, quæ lumen ipsis gradibus præbent turrisque interioris cameris, una supra alteram posita videatur intervallo pedum 20 circiter. In theatro urbium Turris hæc sic delineata invenitur, ut ex argulo uno videnti duo latera conspicienda offerantur; itaque patet oculis ipsis illa, quam dixi, fenestrarum utrimque paulatim ascendentium differentia. Eadem repræsentatur in altero ejusdem tabulæ latere, introrsum conspicienda per effractum muri angularis hiatum; sed perquam infeliciter: quia nec turris mediæ latera prædicta conspiciuntur, neque scalarum forma vera exprimitur: notantur enim in lateribus singulis 8 vel 10 gradus, singuli tam alti quam lati, quos a quadrupede scandi, sicut ibi fingitur, impoßibile sit; cum econtra non nisi gradum unicum habeant singula latera, quibus omnibus succedit in eodem latere gradus alter. Proinde tantum abest ut aliquam scalarum Hispalensium ideam formare tibi ex ea delineatione poßis, ut erroneam prorsus concipere necesse sit, nisi admonitus caveris.

Quamvis vox Hispanica Brazas, communiter ulnas notet, mensuram scilicet duorum & semis pedum

geometricorum: apparet tamen ex omnium recentiorum consensu, pedes dumtaxat hic numerari: & quidem cum aliqua varietate. [Ejus dimensio,] Nam ubi Chronica numerat latitudinis Brazas 60, illi solum habent 50; & 240 Brazas altitudinis mutant in 250. His vero securius stabimus, credemusque numeros Chronicæ a transcribentibus vitiatos, quod mox infra certiori exemplo constabit. Operæ pretium fuerit legere Morgadum lib. 4 cap. 1 describentem quam minutißime & accuratißime totam istius molis fabricam; [& similitudo cum Turri Marochensi.] quam una cum adhærente Mezquita totam esse a fundamentis opus Maurorum evidenter probat, contra nonnullos, a Romanis petentes illius originem; esto, inquit; nulla uspiam appareat Arabica inscriptio, quam Catholici dejecerint; sicuti inventus est Cordubæ similiter dejectus titulus, marmori albo insculptus, quo dicebantur Alderamen & Issen, pater ac filius, Mezquitam Cordubensem condidisse. Ipsa quoque solicitudo Maurorum, pro impetranda facultate demoliendi turrim illam priusquam excederent, etiam cum onere ædificandi novam propriis sumptibus, ut habetur num. 112, confirmat proprium opus fuisse eorum, qui ad perpetuam infamiam suam suique Mahometi, ex ea turri soliti invocari, manere illam noluissent. Allegat etiam idem Morgadus auctoritatem Ludovici del Marmol Caravajal lib. 3 cap. 40 in descriptione Africæ, asserentis ex quadam Chronica Africana, quod Jacob Almanzor, nepos Abdulmumeni, ædificavit ad Mezquitam majorem apud Marocchos turrim, quæ hodieque ibi visitur, eadem omnino forma ac fabrica, qua structa est Hispalensis, & Rabathana in Mauritania Tingitana: easque fecit unus idemque architectus. Et turris quidem, ut dictum est, hactenus fere manet: Mezquitæ vero solum superest pars Atrii sive Claustri, reliquis ejus partibus dejectis ad ædificium novæ Cathedralis.

[Vtrique impositi globi ænei quatuor:] Similiter ait Morgadus de Marocchensi turri, quod supra ejus cacumen elevabantur quatuor orbes aurei per axem ferreum trajecti, quorū infimus capiebat octo Hanegas tritici, secundus quatuor, tertius duas, quartus unam. Hanega autem Hispana hodie dicitur duodecim Almegas seu Romanos modios continere. Porro testatur Morgadus, quod ingenti quodam terræ motu fractus sit axis, cui vasti illi orbes inserti erant, in die S. Bartholomæi anno 1374: & quod hanc ruinam reparaverit Archiepiscopus Ferdinandus de Valdes, suis & Capituli sumptibus, ultra 250 pedes quos a principio turris habuerat, elevando ipsam ad alios 100 pedes, qui post tertiam quartamque zonam novi operis desinunt in ornatissimam pyramidem, cui incumbens sphæra ænea inaurata altitudinis pedum quinque, sustinet simulacrum Victoriæ, similiter ex ære fusum & inauratum, ulnarum quatuor & dimidiæ. Qua de re ibidem insculptus lapidi legitur titulus, a Canonico Francisco Pacieco compositus in hunc sensum:

## ÆTERNITATI SACRUM.

[pro quibus posita desuper Victoria,] Magnæ Matri Virgini Sospitæ; sanctis Pontificibus Isidoro & Leandro; Ermenegildo Principi, pio, felici; illibatæ castimoniæ & virilis constantiæ Virginibus, Justæ & Rufinæ, Divis Tutelaribus; hanc Turrim, Punicæ structuræ molisque admirandæ, atque in pedes CCL olim editæ, in augustiorem faciem, opere accurato & splendidiore, aucto insuper centum pedum operosissimo fastigio, auspiciis Ferdinandi Valdesii, Antistitis pientissimi, [cum titule teste restaurationis an. 1559.] Hispalensis Ecclesiæ Patres ingenti sumptu instaurandam curarunt: cui, ob pietatis res egregie compositas, capite diminutis atque sublatis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, victricis fidei colossum, ad universa cœli tempora captandæ tempestatis ergo versatilem, imponendum jussere:

absoluto opere, anno instauratæ salutis MDLXIX, Pio V Pontifice Opt. Max. Philippo II Aug. Cath. Pio, Felici, Victori, Patri patriæ, rerum Dominis.

Hinc supposititia esse convincitur Charta jurium ac privilegiorum Carmonensium, cui sic subscribi fingitur, apud Carum lib. 3 cap. 44. Facta charta, Rege Christo, VIII die Maji, [Chartæ Carmonensis vitium.] anno quo dictus Rex Ferrandus, felix, populator, invictus, cepit Hispalim nobilissimā civitatem [& populavit] de populo Christiano, Æra millesima ducentesima nonagesima. Hæc enim respondet anno vulgaris Æræ 1252. Eodem anno primum etiam electus & ordinatus est, mortuo Ioanne, Cancellario Ferdinandi, Apparicius Episcopus Burgensis, confirmans eamdem Chartam, post Reginam Ioannam, Infantes Ferdinandum & Philippum, eorumque patruum Alfonsum, & Ioannem Archiepiscopum Compostellanum (qui tamen æger remissus in Galiciam fuerat) & aderat Toletanus Electus Guiterius, cui id potius competebat, si ipso captæ urbis anno talis charta scribenda fuisset: sed tunc Apparicius necdum erat Episcopus Burgensis.

Id quidem Raimundus fuit, ast non statim, sed primum post Majum anni 1253, aut etiam serius aliquanto, cum Infans-Ferdinandus, ad hoc munus Electus a patre, eo mortuo renuntiasset Electioni suæ.

Non ipse tamen, sed successor filius, Vniversitatem seu Academiam instituit.

PARERGON V.
Ad quatuor præcedentia Capita.
Ex Hispanico Spinozæ, Zunigæ, & aliorum.

## §. I. Devotio sancti Regis erga Deiparam, durante obsidione comprobata miraculo insigni.

[117] Licentiatus Paulus de Spinosa, Presbyter & civis Hispalensis, patriæ Historiam, antiquitates, & magnalia edere in lucem cœpit anno MDCXXVII; [Ex recentiori scriptore] cujus parte I. lib. 4 & ultimo agit de recuperatione urbis per sanctum Regem Ferdinandum. Narrat ibi Paulus iste non pauca, vel ignorata vel præterita auctori Chronicæ, potißimum intento succeßibus bellicis referendis. Et quoniam accurate satis refert fontes ex quibus hausit singula, visum est in unam omnia Appendicem, recuperationis Hispalensis narrationi subjungendam, colligere; prudentisque lectoris arbitrio relinquere, quid fidei singulis dandum existimet. [veteres membranas allegante,] Ac primum fol. 148 ex veteri Ecclesiæ Hispalensis membrana, in sacello Regis asservata, asserit idem quod habent Lectiones, ad Matutinum in dedicatione Hispalensis Ecclesiæ XI die Iulti recitandæ, & a Congregatione Rituum approbatæ anno MDXC. Quomodo scilicet Rex Hispalim obsedit, ad eam expeditionem a S. Isidoro Hispalensi Episcopo per visionem excitatus, quod scilicet sanctissimus Præsul suam Ecclesiam, tot seculis jam ab infidelibus profanatam, Christo restituendam curaret. Prudenti tamen cautione additur in dictis Lectionibus, Ut fertur; quo nempe intelligatur id non constare ex certis auctorum coævorum monumentis, sed solum constanti traditione receptum esse: uti etiam quod pius Rex, tum alias, tum in eo bello Deiparæ Virginis (cujus sacram venerandæ Majestatis imaginem quocumque iret in exercitu secum ducebat, [probatur devotio sancti erga B, V.] ac mira devotione & honore prosequebatur) præsentem opem non semel sensit.

[118] Prædictam autem membranam, inquit Paulus, continentem miracula aliquot sancti Regis, transcripsit Licentiatus Franciscus Pachiecus, Capellanus Major Capellæ Regiæ & Canonicus ipsius sanctæ ecclesiæ, cujus exemplum ego habui, a quodam Regni hujus

Magnate communicatum. Vtinam suis originariis verbis, [cujus imaginem Antiquam in urbe,] Hispanicis vel Latinis (nec enim qua lingua scripta fuerit exprimitur) membranam istam curasset Lectori suo Paulus exhibere, vel Processuum summario inserta invenirentur notata ibi miracula, sicut notantur alia infra danda ex libro veteri Flos-Sanctorum. Interim ex membrana illa attulerat Paulus fol. 134, quod post conflagrationem igniariæ illius machinæ (de qua in exitium Christianæ claßis comparata dictum est num. 39) acturus pius Rex de tam singulari beneficio gratias Deo & Deiparæ, quibus acceptum id referebat, in suum se recepit tentorium, prostravitque ante imaginem Virginis in oratione. Postero autem mane sub ortum solis sine gladio egrediens ex castris, progressus est orabundus usque ad ambitum mœniorum urbis, & ea usque ad portam Cordubensem transiens, intravit per eamdem; eoque venit ubi est locus supplicii Martyrum, oravitque coram imagine Mariana, quam a vetustate Antiquam appellant: & tota civitate transita, nulli Maurorum conspicuus, egressus est per portam Xeritanam: veniensque in tabernaculum, & superiorem vestem quietis capiendæ causa deponens, deprehendit se absque gladio esse: unde intelligitur extaticæ orationis fervor, quo abreptus toto illo itinere fuit.

[119] Doctor Hieronymus de Gudiël, arte Medicus, qui anno MDLXXVII Compluti vulgari lingua edidit Compendium aliquot Historiarum Hispaniæ, in quo tum aliæ antiquitates memoria digniores traduntur, tum præcipue illustratur familia Gironum) cap. XI dicit eumdem se casum vidisse in alio Ms. antiquo de rebus & antiquitatibus Hispanicis, hoc verborum tenore expositum. Videns Rex sanctus obsidionem protrahi in longum, idque peccatis suis imputans, & ideo vehementer afflictus, continuas ad Deum Virginemque gloriosam ejus matrem preces fundebat, ante imaginem quæ hodie Regum dicitur, quamque circumducebat secum; supplicans ne

sua peccata respiceret, sed zelum sanctum, quo impellente obsidionem tam arduam susceperat. Hoc tota una nocte agenti responsum fuit, animos sumeret, cito enim potiturum esse desiderato gloriosi laboris fructu. Surgens autem mane Rex, ambulavit usque ad civitatem, [eodem inecstasi ingressus, adorarat,] non visus a suis; & per unam portarum, quœ inter Turrim auream & portam Xeritanam clausa apparet, introgressus est; ubi dicunt, excidisse ei non animadvertenti gladium suum: & perveniens usque ad Mezquitam majorem, veneratus est imaginem quam appellant Antiquam, quamque istic reperit, ubi etiamnunc consistit: atque per eamdem portam regressus in tentorium, invenit ibi gladium qui sibi exciderat. Eodem mane D. Petrus de Guzman & D. Petrus Pontii, non invenientes in tentorio Regem, perquisiverunt totis castris, usque dum venirent ad tabernacula DD. Roderici Gonsalez Giron & Didaci Lopez de Haro. Qui suspicati Regem ingressum esse civitatem, ingressi sunt etiam ipsi per portam Macarenæ, quœrentes eum usque ad Mezquitam majorem. Quo cum plurimi Mauri accurrissent, pugna acris ibidem ipsis exorta est; in qua, protegente eos Deo progressi usque ad portam Xeritanam, per eamdem redierunt ad castra; in quibus Regem repererunt, sanum atque hilarem, & gavisi sunt. His relatis, Apte, inquit Zuniga, subjungit Gudiël: Si postremum istud facinus Roderico Gironi & sociis affictum Poëtice est, apte inventionis istius auctor legit personam cui ipsum adscriberet. Scimus tamen etiam in Granatensis urbis acquisitione, occasione non absimili, quid simile patratum fuisse a Ferdinando del Pulgar. Pergens deinde Spinosa, Alii, inquit, auctores dicunt, quod tota una nocte ferventi orationi insistens Rex, [regressusque invenerit se inermem fuisse.] a Deo sibi concedi petiit ingressum in urbem Hispalensem, ad introducendam illuc sanctam Christi fidem, & visitandam magnæ religionis imaginem Marianam, quam quidam a Columna nominant; quia stabat ad columnam cujusdam fontis, ad concursum

platearum Genuensis & Marinæ: quidam vero asserunt fuisse miraculosam illam imaginem, quæ Antiqua nominatur, eratque intra ipsam Mezquitam Maurorum, honorata ab his, venerata a Christianis. Postea, ajunt, surrexisse Regem, velut in ecstasi, præ attentione atque fervore spiritus; & inobservatum prodiisse de tabernaculo, ac transito Tabulatæ campo quam longus erat, circuivisse murum usque ad portam Cordubensem, & campum illum in quo solebant Mauri capitis supplicium sumere de Christianis, inde appellatum Decollatorium Martyrum. Hinc inductum, vidente nemine, in civitatem ab Angelo, usque ad locum imaginis: qua venerata, Rex egressus fuerit per portam Xeritanam: ingressusque in tabernaculum, animadverterit periculum in quo fuerat, absque gladio existens.

[120] Triplicem hanc extaticæ illius peregrinationis narrationem, tam unam in substantia facti, quam in circumstantiis variam, [quibus pœnitentiis usus durante obsidione?] ideo credo proposuisse Spinosam; ut pluralitate testium, non omnino recentium, ejusmodi de sancto Rege credulitati, faceret. fidem traditionis, saltem popularis; quæ, licet raro aliquid integrum invariatumque transmittat ad memoriam posteritatis, non sit tamen prorsus contemnenda, quamdiu nulla gravior ratio in contrarium obsistit. Et hujusmodi sunt quæ idem Auctor adjungit, solitum Regem ter in hebdomade, quamdiu duravit obsidio, seipsum noctu flagellare usque ad copiosam sanguinis effusionem; cum autem pugnandum esset, cilicinam crucem, ferreis aculeis asperam, supra nudam carnem gestare, quæ pectus & brachia complectebatur: habuisse etiam in exercitu Sacerdotes, qui militibus pœnitentiam & virtutum exercitium prædicarent. Sed minus verosimiliter hoc etiam additur, quod in istis Sacerdotibus praecipui fuerint beatus Fr. Dominicus, vir sanctissimus, discipulus & socius gloriosi Patriarchæ Dominici, Confessarius Regis, eique adjunctus

socius, thaumaturgus Pater Fr. Petrus Gonsalez, quem asserit Christophorus Nuñez, Capellæ Regiæ Sacellanus, [an etiam comite S. Petro Gonzalez?] in historia quadam a se scripta de singularibus rebus urbis Hispalensis, multa prædixisse sancto Regi obsidionis hujus tempore, quæ exitus vera demonstraverit. Egimus XV Aprilis de S. Petro Gonzalez, ibique notavimus ad num. 15 Vitæ littera d, hunc mortuum esse septem annis citius, quam obsidio inchoaretur; nunc vero occurrit etiam alius error ejusdem Vitæ notandus, quo dicitur idem Petrus capta urbe comitatus Regem, ad urbem suam regiam regressum: neque enim amplius redivit in Castellam Ferdinandus, aut vivus aut mortuus. De Fr. Dominico, Petri Gonzalvii socio, nihilo minus dubitaverim, an unquam fuerit in Castella, nedum in Bætica: vide interim quæ de eo notavi ad Vitam B. Petri num. 4 litt. b. Quod autem ab eodem in castris Ferdinandi factum ait Lauretus lib. 2 pag. 63 circa meretricem solicitantem ad flagitium, quam ad cubandum secum in rogo invitarit; id alii & verosimilius in Lusitani Regis Castris; Leander Albertus pag. 180, in Curia Gallorum Regis actum ait; nisi forte mendum est, legendumque sit Portugallorum. [& S. Dominico ejus socio,] Idem Lauretus lib. 1 pag. 347 Dominicum Mugnoz nominat, aitque fuisse sancti Regis Confessarium, quod certius velim probatum videre, ab eo præsertim qui mox sequ. pag. 349, parum sui memor, titulum Regii Confessarii, pro eodem occupatæ urbis tempore, adscribit Don Raymundo de Lezana Episcopo Segoviensi. Similiter certius probatam velim, assertam ab eodem Laureto præsentiam S. Petri de Nolasco in iisdem castris. Vehementer enim vereor, [ac S. Petro Nolasco?] ut ea aliud habeat fundamentum, quam quod Sanctus iste (sicut in Vita a nobis edita legitur XXIX Ianuarii num. 18) Barcinone profectus ad Castra Iacobi Aragonum Regis, eodem quo Hispalis obsidebatur anno Valentiam prementis, urbem cum eo ingressus dicitur, die scilicet XXVIII Septembris, qua illa, ex prædictione ejusdem

Sancti, pridem id Deum precati, dedita Christianis fuit. Fama tamen fundati Valentiæ Conventus movisse Sanctum Regem potuit, ut etiam Hispalim Petrum accerseret, idem ibi facturum. Potuit etiam sanctus Fundator, comitatus ultro fuisse Aragones illos quos Valentia occupata, Regem Iacobum Ferdinando misisse ad Hispalensem obsidionem extremo ejus mense, intelligitur ex successu eorum minus felici num. 99. Allegatur autem Bernardus de Vargas in Ordinis sui Chronica, Sanctum Sancto sic loquentem inducens; Cura, non solum fabricam ecclesiæ & conventus; sed etiam ut Fratres vestri pro me orent Deum, dum vivo; nec non pro anima mea, post mortem: optime enim novi, quam gratæ sint Deo sanctæ vestrȩ preces, æque ac opera vestra bona.

## §. II. De imaginibus Marianis, Hispalim inductis a sancto Rege.

[121] [Circumducere imaginem Deiparæ solitus,] Refert Rodericus Toletanus lib. 8 cap. 10, ex eoque Lectiones XI Iulii ad festum Triumphi S. Crucis apud Hispanos, quod in sæpe memorata Christianorum ad Navas Tolosanas contra Saracenos pugna, erat in vexillis Regum Christianorum, Castellæ, Aragoniæ & Navarræ, imago B. Mariæ Virginis, quæ Toletanæ provinciæ & totius Hispaniæ semper tutrix extitit & patrona: in cujus adventu, acies illa mirabilis & turba innumerabilis, quæ hactenus satis immobilis permanebat, & rebellis nostris obstiterat, cæsa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit. Hanc majorum ac sui nominatim Avi materni religionem imitatus Rex sanctus, ejusdem Virginis imaginem, non quidem vexillo suo inseruit (hoc enim, ut infra describitur, solis Castellæ ac Legionis insignibus notatur) sed majori cum apparatu habebat, cumque iret in exercitu secum ducebat, præsentem opem semper expertus, tum in aliis bellis omnibus, tum maxime in hoc

Hispalensi, uti testantur Lectiones Dedicationis Hispalensis supra allegatæ num. 117, eædemque argumentum cœptum sic prosequuntur: Capta urbe, Ferdinandus, felicem victoriam, non sibi, sed Deo ejusque sanctissimæ Matri acceptam referens; dictam imaginem, triumphantis specie ornatissimo ferculo impositam, [eamdem triumphabundus inducit in urbem:] ad templum, quod ejus nomini dicandum erat, inferri fecit. Hac celebritate triumphi eadem sacratissimæ Virginis imago, cum splendida Episcoporum & Sacerdotum processione, signis ac legionibus præcedentibus, sequente postremum Rege & Procerum comitatu, in urbem delata & in templo est collocata: quod jam a Guiterio Archiepiscopo Toletano a superstitionis sordibus fuerat expurgatum, & Christiano cultui restitutum. Tum vero idem Toletanus Præsul ecclesiam, præsentibus Episcopis & innumerabili populorum multitudine; solenni ceremonia Deo in titulum & honorem beatissimæ Virginis Mariæ, dedicavit: cujus venerandam imaginem, cum multis Sanctorum Reliquiis, ibidem Rex reponi curavit.

[122] Hæc ergo illa est, quæ ut olim in Veteri Regum Capella, sic & hodie in nova, principem aram occupat, [multa per eam operatus miracula,] in capite Ecclesiæ Patriarchalis Hispalensis, sicut infra apparebit, ubi Capellæ istius forma proponetur. Nunc satis est ipsam imaginem in suo argenteo tabernaculo, in quo & circumfertur, exhiberi conspiciendam. Eidem imagini sicut antiquitus communis cum ipso sancto Rege honor deferebatur, sic utrique communiter accepta referebantur miracula vetera, inferius proponenda in principio Gloriæ postumæ. Hoc etiam indicat Titulus, Legendæ antiquæ præfixus his verbis: Vita & miracula gloriosi Regis D. Ferdinandi, qui Hispalim obtinuit; & cui, mediante quadam devotissima sculpta imagine, quam secum circumducebat, Dominus noster magna miracula ejus

tempore & usque hodie fecit ac facit. Talium miraculorum occasione ipsam illam Deiparæ imaginem Guilielmus Gumperberg noster retulit in suo Atlante Mariano, continente centurias duodecim miraculosarum toto orbe imaginum, ubi ex Memoriali seu Vita S. Ferdinandi scripta per Joannem de Pineda, sic habet: [ubi etiam nunc in honore est,] Fama est duas Deiparæ statuas Hispalim esse allatas a Ferdinando Rege. Altera argentea est, & colitur in altari principe summi templi; altera, lignea & justæ staturæ, sedet, puerumque Jesum manibus tenet. Hæc a Regibus nomen habet, sive quia in Sacello Regio est, sive quia a Ferdinando Rege contra Mauros semper inter primos militum ordines collocata: refertque constans fama, in oppugnatione urbis Hispalensis, Regem Ferdinandum a Virgine doctum esse, quibus modis Maurorum machinas everteret.

[123] Hæc ille ad imaginem CCXLI: addit deinde: Tanto hodie in honore est hæc sancta Statua, [non tamen ut picta ab Angelis,] ut a Regiis ministris Custodes præsidiarii constituantur, quos Armorum reges vocant. Hi togati cum clava argentea præ foribus adstant. A cubiculis Deiparæ, velut Imperatrici, nobilissima quæque virginum deligitur: quibus omnibus Regio diplomate hæc officia assignantur. Tanta porro in hac sancta Statua vestienda est religio, ut hoc officium non nisi Canonicis permittatur. Sed ista collata cum præcedentibus, credere nos faciunt, Testem V in Processu Neapolitano super art. 26 in Summario allegatum, perquam confusa usum memoria fuisse, quando dixit, quod cum sancto Regi apparuisset imago quædam Deiparæ cum puerulo, promittens victoriam in conflictibus; ille similitudinem monstratæ sibi imaginis factam volens, plures pictores accersiverit: quorum nemo cum voto ejus posset facere satis, secundum ea quæ memoriæ habebat impressa lineamenta; demum oblati sint duo, qui opus susceperint, unumque in locum simul clausi absolverint intra dies

aliquot: [quod forte de Antiqua dicebatur,] sed opere completo inventi amplius non sint, proinde crediti fuisse Angeli: & hanc ait devote servari sub altari in capella Regia: atque ita & vidisse se sæpius, & ex antiqua parentum traditione accepisse. Sane non pictam esse, sed sculptam imaginem; non subtus, sed supra altare collocatam, extra controversiam videri debet. Sed video quid fefellerit hominem, Hispaniæ advenam, & bona (quod præsumendum est) fide, visa auditaque, ut meminerat, referentem. Est in eadem Hispalensi ecclesia imago alia supra memorata, non allata, sed inventa Hispali a Sancto Rege, maximaque in veneratione habita; Antiquam vocant, estque-Gompenbergio Imago CCCLXXXI, depicta in pariete, statura sesqui major humana, forma speciosissima, ut miraculum sit inter majores pictorem fuisse tanta arte præstantem: & quod ipso miro mirum magis est, in hanc usque diem & integra est, & vel formae vel colorum nullum omnino passa damnum, quantumvis Mauri, quibus antiquiorem esse fama celebrat, [ad miraculum speciosa,] eidem expungendæ ligones & malleos adhibuerint. Vestis tota deaurata est, cultus hodieque ingens; ardent perpetuæ in sacello, quod augustissimum, lampades, nulla diei hora sacrum locum accedas, quin tibi via sit per confertum populum facienda. Omnia pene superant litaneuticæ preces, quas Lauretanas vocamus, & quovis Sabbato, assistente toto Clero, Cathedralis templi symphoniaci, non minori pietate quam majestate, concinunt.

[124] Eadem omnia de prædicta imagine ante centum annos habemus apud Morgadum impressa, lib. 4 cap. 10; [& an. 1578 translata,] qui addit quod prius stetit ad manum dexteram capellæ, sed non ita pridem (Zuniga, qui rem plenius describit, notat annum 1578, 18 Novembris) ab Archiepiscopo Christophoro, maximo ingenio & molimine translata est, in eum ubi nunc est locum, una cum tota illa parte firmissimi parietis, supra

quem formata est. Nec tamen illa prima videtur fuisse translatio: cum enim ablata est a priori loco, apparebat clare, partem illam parietis non cum reliquo pariete fabricatam, sed aliunde acceptam, ibique insertam fuisse, Est que hoc omnino verosimillimum; tum quia Mauri solotenus debuerunt omnia destruxisse, ut suam Mezquitam novam a fundamentis ædificarent, tum quia credibilius est a Sancto Rege fuisse repertam extra ipsam Mezquitam, quam intra eamdem, quo Christianis non patuisset accessus, Addit Zuniga num. 17, desperantes de ipsius imaginis destructione Mauros, educto ante eam pariete, ipsam occuluisse; sed frustra, cum propterea Christiani non obliviscerentur illius, & tectam quoque pergerent in veneratione habere. Verum paucis ante hanc expeditionem annis, ille paries concidit, sub eoque apparens imago novo quodam fulgore intuentium Maurorum ita perstringere cœpit oculos, ut arcano quodam impulsu coram ea stare erecti non valentes, genua flectere cogerentur; sicuti testatur, sub annum MDXX florens, Bacalaureus Peraza, cujus Ms. & hactenus anecdoton autographum extat in Bibliotheca Ducis de Alcala. Hanc ergo imaginem, quam repræsentamus æri incisam; quæque modo est in ultima capellarum ingredientibus ad latus dextrum, juxta lateralem portam dictam S. Christophori; hanc, inquam, imaginem bonus ille Neapolitanus testis, non distinxerit ab ea quæ Regum dicitur; nec animadverterit, haud esse in tabula sed in muro pictam. Vt vero ipsa statua, quæ vere est & dicitur Regum, credi poßit Angelicis manibus fabricata, videtur opus esse plurium concordi testimonio: quod cum desit, deest quoque idoneum argumentum fidei miraculo adhibendæ.

[125] Præter has duas nominis ac venerationis præcipuæ imagines Marianas, quarum alteram similiter etiam ære incisam hic vides; invenio adhuc alias ad Sanctum spectantes. Earum una Eburnea, alia Argentea est. De

Eburnea ait Spinosa, anno MDLXXIX, [His adde Eburneam unam repertam cum corpore] quando ex veteri in novam arcam transferendum erat sacrum corpus, inventam esse supra mortui pectus, creditumque quod ipsam solitus fuerit secum semper deferre; & quando pugnandum cum hoste erat, supra hastile vexilli Regii figere; quod etiam Testium aliquis in Processu affirmavit; alius vero Testis dixit, auditum vel lectum sibi esse, quod ipsam in tali discrimine ante se haberet positam in arcu ephippii sui. Atque hinc originem sumpsisse videtur, ut recentiores omnes sancti Regis imagines, pro Vellere aureo, Austriacorum postea Regum gestamine, appictam habeant ex collari torque pendulam effigiem Deiparæ. Servatur istæ hodiedum in Archivio Capellæ Regalis, inter pretiosiora illius cimelia. Argentea denique Deiparæ imago Hispali, [alteram argenteam a Sancto datam Ecclesiæ.] cujus & Gumpenbergius meminit, incertum utrum ante vel post captam urbem fabricata, putatur sancti Regis donum esse, vocaturque imago Metropolitanæ ecclesiæ, & stat super altare majoris Capellæ, quæ (uti infra ex ichnographia loci apparebit) in media templi navi servit Archiepiscopo & Canonicis ad Officia sua omnia. Lauretus lib. 2 pag. 87 alias quoque Deiparæ imagines indicat, quas Sanctus Rex, ibidem dicitur fabricandas curasse, [& alias alibi collocatas.] & in variis ecclesiis a se succeßive fundatis constituisse: quarum una in Collegiata S. Salvatoris ab Aqua nomen habeat; aliæ duæ sint, in ecclesia S. Francisci sub choro & S. Clementis Monacharum Cisterciensium; præter plures eadem in urbe, de quibus similis traditio sit, & similis eo titulo cultus. Idem Lauretus allegat Fr. Alfonsum de Vargas, in relatione de Mariana Hortensi imagine, asserentem, infinitas esse ecclesias, quas Sanctus Rex Deiparæ fecerit dedicari: certe vix dubitarim, quin in civitatibus oppidisque omnibus, a se occupatis, ille curaverit extare aliquod pietatis suæ erga Deiparam monumentum.

[126] Lucius Marinæus Siculus, lib. 5 de Rebus Hispanicis, Sanctum Regem laudat, quod Dei effigiem, quam semper habebat apud se, devotissimus adorabat summaque devotione celebrabat; [imago Christi vulgo Veronica,] ab eaque, quidquid & necessario & honeste petebat, facile impetrabat. Hoc igitur numine adjuvante, inquit, Hispali aliisque pluribus oppidis potitus est. Habet hodieque Giennensis ecclesia Christi Dei nostri vultum, ad earum expressum similitudinem, quæ vulgo Veronicæ nomine appellantur; vel quia id nominis erat piæ cuidam mulieri, quæ Christo crucem suam bajulanti cum aliis obvia, tergendo sudori sanguinique velum capitis sui præbuerit, in eoque sacræ faciei acceperit expressa lineamenta, sicut populariter circumfertur; vel quia id quod primitus dicebatur Sancta vera icon, sicuti dicitur Sancta vera Crux, [quæ Giennii colitur,] levi litterarum transpositione mutatum in S. Veronicam, occasionem dedit ea omnia comminiscendi, quæ in nostro Februario ad diem IV mallent eruditi viri serveriori trutina expensa videre. Vt ut est, vulgo S. Veronica nuncupatur, non solum quæ illam acceperit matrona, quæ an ulla unquam fuerit dubitatur; sed citra dubitationem ullam multoque communius, ipsa sindon, inqua sic expressus cernitur Christi vultus; & hic est quam Dei effigiem Marinæus vocat, & cui Numinis appellationem eo modo aptat, quo modo figurate solent imaginibus aptari quæ sunt prototypi; quod facilius etiam ignoscas homini, præ studio emunctæ Latinitatis, adeo nullam vocem peregrinam in suis scriptis toleranti, ut nec proprium Lucæ nomen legi in iis voluerit, sed Romano vocabulo Lucius dici. Extat tamen Hispanica Marinæi versio, ipsis Latinis editionibus (quarum prima anno 1533 curata Compluti) triennio vetustior; ubi citra controversiam Veronica nominatur, itaque legitur, Traia con sigo la Veronica... y con el ayuda y socorro de nuestro Señor gano muchas victorias. [non satis probatur, a Sancto ad Hispalensem obsidionem delata,] Alibi autem idem Marinæus, agens de Mentesa quam Jaënem vocant,

dicit, quod Christi sudario, quam alio nomine Veronicam vocant, non immerito gloriatur. His porro duobus Marinæi locis inter se comparatis, existimat Franciscus de Ruspuerta in Hist. Eccl. Giennensis urbis Sec. 12 §. 5 aliique, Giennensium traditionem, ipsam acceptam referentium Episcopo suo D. Nicolao, qui eam ante annum MCCCLXXVIII attulerit, posse concordari cum Iuliani Adversariis; ubi dicitur, quod ea a temporibus antiquissimis apud Giennenses colitur & ostenditur peregrinis. Putant enim dici posse, quod S. Ferdinandus, accepto in ditionem Giennio, ipsam ibi clam servatam reperit, & secum ad bellum Hispalense assumpsit; itaque retentam Hispali Nicolaus Episcopus revexerit Giennum. [ex solius Marinæi Siculi fide, collata cum Iuliani Adversariis.] Sed nos Pseudo-Iuliani Adversaria ut figmenta contemnentes, nullamque memoriam apud Hispalenses invenientes talis imaginis, malumus ceteris Marinæi erratis, quorum causa Ioannes Vasæus multis locis diligentiam scriptoris, pluribus fidem desiderat, malumus inquam, Marinæi erratis etiam hoc imputare, quod fallente memoria ad Veronicam transtulerit, quæ de imagine Virginis Deiparæ audierat.

## §. III. De sancti Regis Gladio & Labaro, nec non de Clavibus urbis ingredienti traditis, aliisque ejusmodi monumentis.

[127] Prudentius de Sandoval in historia trium Episcoporum, ad finem Vitæ Comitis Ferdinandi Gonsalvii (fuit hic Castellæ Comes tempore Ranemiri Regis, [Ensis & labarum ad obsidionem delatum,] heroicis contra Saracenos gestis clarus; quem ab insigni pietate & felicitate multum laudat Rodericus Toletanus lib. 5 cap. 2 & 12, & floruit sub medium seculi X) ad hujus, inquam, Herois vitam addit Prudentius de Sandoval, apud Spinosam, quod sanctus Rex Ferdinandus, iturus ad obsidionem Hispalensem, extulerit secum os unum de

illius corpore, cum ense & labaro, tamquam viri sancti, & cujus meritis speraret multum se adjuvandum. Deinde prosequitur Spinosa: Quod exemplum imitati successores Reges, eumdem gladium sæpe petierunt, ad maximi momenti expeditiones profecturi, ac nominatim Infans Ferdinandus, in obsidione Zaharana & Antiquerensi. Est autem gladius ulnam unam longus & acutissimus, in capuli vertice globum habens crystallinum, & pro transverso pretiosam ex lapide flavo petram, ad unius digiti crassitiem. [in processione annua circumferuntur,] Servatur vero in sacristia Capellæ Regiæ, indeque effertur ad processionem, die S. Clementis XXIII Novembris duci solitam, in gratiarum actionem pro liberata a Mauris urbe. Hunc ensem elatum portat Assistens Hispalensis, præcedente illustriori quodam viro, ex parte Civitatis delecto, qui vexillum ferat, quod Regi sancto præferebatur quando urbem obtinuit, servaturque in Sacristia majori ecclesiæ.

[128] Apparatus ipsius Regiæ capellæ tali die hic est. Ad latus dexterum portæ, sub diviti conopæo, [maxima cum reverentia.] collocantur figuræ Sancti Regis & Reginæ Beatricis, primæ uxoris ejus ad sinistram, dexterum latus tenente figura filii Alfonsi Sapientis, omnes vestitæ quam speciosissime: Regis autem figura prædictum gladium manu dextera tenet. Accedente ergo ad Thronum Assistente, interim dum e capella procedit pompa, Capellanus Major ibidem adstans cum Custodibus, genu flexus osculatur prædictam dexteram, ab eaque acceptum gladium tradit Assistenti in manus; quas suis ipse manibus stringit, exigitque juramentum in forma Castellanis consueta, quod eum sit restituturus finita celebritate: qua de re mox conficitur publicum instrumentum a Notario, eum in finem præsente. Habet autem Christophorus Nuñez Sacellanus in suis manuscriptis, quod anno MDVIII gladium istum in processione extulerit ipsemet, tunc forte Hispali præsens,

Rex Ferdinandus; vexillum vero gestandum tradiderit Legato Cæsaris Maximiliani, dicens, Si hic adesset Nepos meus Carolus, ipsius partes forent istud portare: nunc, quoniam abest, vices ejus sustine. Tanta in veneratione habent Reges nostri honorandas illas Reliquias. Hactenus Spinosa: quibus ex Zuniga addiderim, non æque probari omnibus, quod resarciendo sacrum istud vexillum subditus hinc inde alius fuerit pannus, sicut facile deprehenditur a non hebete oculo, licet major pars sit materiæ antiquæ; verentur enim, ne, paulatim evanescente panni utriusque discrimine, non distinguatur a recentiori vetustior.

[129] [Clavis argentea urbis sancto Regi fabricata,] Servatur præterea, teste eodem Zuniga num. 24, inter ecclesiæ rariora cimelia, Clavis argentea, ex parte inaurata, quam creditur Sanctus Rex, sibi successoribusque urbem ingressuris imposterum offerendam, fabre-fieri jußisse, loco alterius ferreæ, sibi ab Axataf Mauro sub introitum ante portas urbis oblatæ, quæ hodie est in potestate D. Antonii Lopez de Mesa, olim autem putatur in archivio civitatis custodita fuisse. Alii credere malunt, prædictam argenteam clavem, a Iudæis fabricatam, & ab Archisynagogo Hispalensi oblatam Regi fuisse: idque verosimile fieri ex addita manubrio inscriptione Hebraica: notant autem in more Iudæis fuisse, Rege ingrediente in locum ubi Synagogam habebant, cum cum tali ceremonia excipere & simul protectionem ejus petere. Vtriusque clavis formam, qualem Zuniga exhibet, non gravate repræsentavi sub imaginibus Marianis, sed paulo contractiori mensura: ubi nemo est qui non facile intelligat Castellanorum verborum, secreto ipsius Clavis tam eleganter intextorum, sensum, DIOS ABRIRA, REY ENTRARA. Sed notio scripturæ Hebraicæ, quæ per extimam annularis manubrii orbitam est circumducta, & cum exprimi suo loco non posset, hic ad latus notatur, minus obvia est omnibus; quare eam Latine sic reddi moneo: Rex Regum aperiet, Rex universæ

terræ introibit. Similem ferme sensum subisse Arabicis Mauricæ Clavis characteribus, [& ferrea eidem tradita a Mauris,] similiter ipsi ejus secreto intextis, ex sensu peritorum ejus linguæ ait Zuniga: quod tanti non facio, quam quod Maurorum Hispalensium Princeps Axataf, ad pedes Sancti Regis exprimi solitus cum similis formæ clavi in manu, cum inde digressus pervenisset ad collem Belli-visus dictum, ubi incipit urbis aspectus evanescere & maritima ora in conspectum venire; illacrymans exclamavit, fieri non potuisse ut urbem tam generose defensam, tanto incolarum numero constipatam, cum exercitu tam exiguo vinceret alius quam Rex Sanctus: ita scilicet implenda fuisse decreta supremi Ala, qui hoc tempore destinaverat civitatem amittendam a Mauris, multa talis eventus prognostica pridem habentibus; quemadmodum in veteri quadam memoria legisse se scribit jam supra aliquoties nominatus Zuniga num. 32 & in Annotatis ad Caput 6 litt. c, explicatum pro parte invenitur.

[130] [de tertia oblata a Iudæis.] Idem in Appendice ex Gonzalvo Argote de Molina, tamquam teste oculato (floruit autem hic ante annos centum) meminit tertiæ cujusdam Clavis, superiori seculo pariter in majori sacristia ecclesiæ Metropolitanæ asservata, quam, non vero priorem, Regi obtulerint Judæi, facultatem petentes (ut deinde ad cujusque Regis ingressum facere eis in more fuit) commorandi in sibi aßignato vico: Notabilis ea est, inquit, raritate fabricæ ex omni metallo, sic ut unumquodque per se distincte appareat: secretum ejus, similiter ut primæ, contexitur ex litteris, eadem Castellana verba utrimque legenda exhibentibus: in circulo autem annulari Hebraicis characteribus scripta verba, sic a peritis Latine reddebantur, [Scyphus Regis crystallinus.] Rex Regum INTRABIT, TOTUS MUNDUS EUM VIDEBIT. His ita positis, haud incongrue suspicaberis, hanc ultimam clavem solam ac propriam Iudæorum fuisse,

ipsam ingredienti Regi offerre solitorum: priorem vero fabricatam etiam ab aurifabro Hebræo, sed Regio jussu & ad usum Civitatis. Fabrum quoque dices suo indulsisse ingenio, in Hebraicis illis litteris annulo manubrii circumducendis; Regem autem præcipue intendisse, ut laus Deo redderetur per verba secreti; per signa vero, quadrato clavis nodo insculpta sub annulo, designatum voluisse, quod præcipuum instrumentum victoriæ, qua urbs acceßit regnis Castellæ & Legionis, fuerit gemina illa navis, catenæ pontique perfringendis adhibita. Denique idem Zuniga ad an. 1252 num. 30 addit, quod etiam in Ecclesiæ Cathedralis thesauro servetur poculum crystallinum, auro circumornatum ac munitum, in cujus aureo labro litteris antiquis hæc legitur inscripta sententia: Dominus meus: Dominus mihi adjutor, & non timebo quid faciat mihi homo, & despiciam inimicos meos: ex quo vase creditur sanctus Rex bibere solitus.

[131] Quod autem dicitur Axataf miratus exiguitatem exercitus, cum quo Rex Sanctus urbem tantam cœpit, meretur non ita strictim præteriri. Obstupesco sane cum n. 87 lego hæc Regis verba: [Exilitas copiarum Regiarum] Non est æqua partitio inter nos & eos qui sunt trans flumen: hic enim sumus ad mille Equites, & illi trecentos non numerant; & vereor ne quis existimet, fabulam id potius redolere, quam historiam. Dubio huic occurret Petrus d'Outremannus noster, in sua Constantinopoli Belgica pag. 270, narrans, quomodo Balduinus Imperator Constantinopolitanus, copias educturus in hostem Murtzuphlum, Græcos omnes ad deficiendum solicitantem, Henricus fratrem cum centum lectissimis Equitibus præire jussit, qui oppidatim fidem & sacramentum a singulis Imperatoris nomine excepturus discurreret; uti & reapse fecit, partim minis, partim blanditiis urbes etiam maximus, quarum una Hadrianopolis, in officio continens. Talia autem cum narrasset d'Outremannus: Hic mihi, inquit, [sic tamen ut

singuli Equites ex veteri instituto] monendus lector videtur, ut cum centum hastatos equites sive cataphractos ad tam arduas expeditiones mitti, aut eos justas profligare copias; atque urbes expugnare in hac narratione audierit; non continuo sibi animo fingat, centum dumtaxat ejus modi virorum manipulum, omni prorsus nudum præsidio educi, ac millibus aliquot hostium opponi. Verum sciendum est ex antiquo Gallorum instituto (quod idem etiam Hispanorum, Longobardorum, ac Germanorum fuisse non dubito) singulis ejus generis Equitibus alios cum milites, inferioris illos notæ quidem, sed tamen ex equis pugnantes (Chronica nostra num. 98 Scutiferos vocat, [unum aut plures armatos censeantur secum habuisse] & ejusmodi unum Garciæ Perez apponit num. 89) tum pedites adjungi solitos esse pauculos; ut cum centum equestris Ordinis viros dicimus, sexcentorum aut non multo secus capitum turma, ex consequentium ratione, intelligenda veniat.

[132] Huic autem loco illustrando mire facit quod Pausanias in Phocicis, loquens de Brenno Gallorum in Græciam Duce, habuisse eum dicit Equites vicies mille & quadringentos, moxque se explicans, verior inquit, numerus fuere supra sexaginta Equitum millia amplius mille & ducentos: nam singulos Equites famuli sequebantur duo, in equis & ipsi & equestrium artium gnari: [ut olim in Græciam irrumpentes Galli,] ii præliantibus dominis in extrema acie consistentes ei erant usui, ut si forte equus esset amissus, statim suum submitterent; si vir cecidisset, servus in ejus locum succederet: quod si utrumque belli impetus subvertisset, jam præsto erat tertius, qui pro demortuis locum teneret: jam vero si vulnera primarius ille accepisset, e secundariis alter ex acie illum subducebat, alter vero saucii vicem subibat..... Atque hanc quidem equestris militiæ institutionem voce patria nominant: equum enim appellant. Vbi recte scribi jubet Camerarius, eo quod

Marca aliud prorsus significaverit semper, Marren autem equi sint, unde Marscalk equorum curator, & Marrie equa. Sed nescio an propterea etiam scribendum Pausaniæ fuerit, cum Dry-mar-kise, trium equorum delectus, commode reddi poßit. Interim vero apparet ex Auctore sub annum 150 scribente, seque vetustiores secuto (nam ista Gallorum expeditio 278 annis Christi nativitatem præceßit) quam recte sentiant; [Galatarum pro geniteres.] qui veterum Gallorum linguam sola dialecto putant diversam fuisse a Belgica seu Teutonica; & quomodo S. Hieronymus, commentaturus super epistolam Paulinam ad Galatas, in Præfatione dicat, Galatas, id est Gallo-Græcos, antiquorum istorum in Græciam cum Brenno delatorum posteros, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem pene habere quam Treveros. Sed in primis ex isto Pausaniæ loco apparet, Equestris disciplinæ vetusta ratio, isti quam attigimus quæstioni solvendæ idonea; apparet etiam unde fiat ut gravis armaturæ equites apud Francos, hodie Maistres, id est, Domini vocentur, respectu scilicet Scutiferorum, quos tales olim secum ducere solebant: qui tamen etiam quaterni ac seni, singulis Ferdinandi Equitibus additi, quid sunt ad grandem illam Maurorum multitudinem, quicum res fuit Sancto Hispalim oppugnanti obsidentique?

## §. IV. Regimen Ecclesiasticum & Politicum, Hispali constitutum a S. Ferdinando.

[133] Cvm Innocentius Papa IV, anno MCCXLVIII Lugduni in Gallia commorans, [Ab Innocentio 4 Rex admonitus,] fama referente cognovisset, quantum incrementum res Christiana acciperet in Bætica, felicibus Sancti Regis contra Mauros progreßibus; solicitus ille ut eadem mensura, qua Regnum amplificabatur terrenum, etiam restauraretur veteris Hierarchiæ splendor; III Kal. Aprilis, anno Pontificatus V, usque ad Iunium adhuc currente,

atque adeo Christianæ Æræ anno prædicto, Illustri Regi Castellæ & Legionis, & nobili viro Alfonso primogenito suo, scripsit Epistolam, quæ extat apud Odoricum Raynaldum tom. 13 ad annum prænotatum num. 47, hoc tenore: Virtutum Dominus discretionis tantæ gratiam utrique vestrum contulisse dignoscitur, ut libere devotis mentibus agnoscatis, quod suæ Majestatis oculis pro eo placiti semper debeatis existere, quia ipse multa & grandia regna vestro dominio, [ut recuperatis urbibus Sedes quoque Episcopales restituantur;] cum interventu famosi nominis, noscitur subjugasse. Propter hoc itaque secura fiducia magnitudinem vestram, affectione qua possumus, rogandam duximus & monendam, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Sedes Episcopales terrarum illarum, quas virtus Altissimi principaliter per vestra & aliorum fidelium victoriosa subsidia de manibus Paganorum eripuit, & ad lucem religionis Christianæ deduxit, de multiplici bonorum vestrorum affluentia, pro divini honore nominis, dotare magnifice studeatis; ita quod præsentibus & posteris nomen vestrum semper effulgeat, & Deo propitio vobis augmentum gloriæ triumphalis accedat, succedentibus postmodum felicibus præmiis, quæ recompensat æterni Regis benignitas pro fructuosæ operibus pietatis.

[134] Potuit hoc Breve aliquam multis mensibus prius quam Hispalis dederetur traditum Sancto Regifuisse: qui ut urbem habuit in potestate, [Hispalensi præficit Infantem Philippum cum titulo procuratoris,] haud segniter exequi cœpit quod sibi commendabatur. Nam sicuti ei prima cura mox fuit, Mesquitam majorem convertere & consecrare in ecclesiam Christianorum: ita nec diu cunctatus videtur in ordinando ibidem Clero, cui creditur statim designasse Archiepiscopum futurum, filium suum Philippum: Chronica num. 147, Electum Archiepiscopum ideo appellat; sed in diplomate Privilegiorum, Hispalensi civitati concessorum, de quo

mox infra, solum subscribitur, Infans Philippus, Procurator Ecclesiæ Hispalensis: Lauretus scribit pag. 349 eum Parisiis in Sorbona sub Alberto Magno fuisse omni scientia graviori instructum; sed ipsum illud collegium, a Roberto de Sorbona fundatore suo nuncupatum, non ante annum MCCLII, institutum se esse fatetur: & Albertus Magnus lectiones suas habebat procul a Sorbonæ loco, in area publica, quæ creditur ab ipso retinuisse nomen ut vulgo Place-Maubert dicatur quasi Locus-Magistri Alberti. Ego non existimo Philippum extra Hispaniam quidquam didicisse, sed studuisse Salamanticæ, instituta a patre Vniversitate, si tamen ullam aliquando adivit studiorum causa. Quod autem non fuerit mox consecratus Episcopus nihil miror; necdum enim attigerat annum ætatis trigesimum, ante quem Presbyterum vel Episcopum ordinari per Canones non licebat, utpote tertiogenitus ex parentibus primum matrimonio junctis anno MCCXIX.

[135] Interim dum ætas congrua Philippo accederet, Episcopalia in Vrbe munera, per modum Vicarii, jussus est exercere Raimundus Episcopus Segoviensis; qui quiæ postea, renuntiante Philippo, factus est Archiepiscopus Hispalensis, in Chronica supra num. 116, [dato Vicario Raymundo Ep. Segoviensi:] & infra num. 147, sic anticipate nuncupatur. Cum autem ex postmodum secuto Philippi matrimonio constet, nec Diaconum quidem unquam ordinatum fuisse, qui gradus patebat annos XXV natis, indicio id nobis est, militaris animi adolescentem a sacris ministeriis alieniorem fuisse semper, licet id vivente patre dißimularit. Ægidius Gonsalvi Davila in Theatro Ecclesiæ Segoviensis asserit, eumdem paucis post patris sui mortem diebus (melius dixisset annis, aut saltem mensibus) ob causas in historia allegatas, mihi vero necdum lectas, renuntiasse Electioni suæ; eas causas certe non legit Tamayus de Salazar, quando ad XI Martii, in Catalogo Archiepiscoporum Hispalensium, ceßionem istam distulit usque in annum MCCLXI. [facto

deinde Archiepiscopo Hispalensi,] Sed in hoc insigniter eum erravisse probant Versus Æra MCCLXXXXVII, id est anno Christi MCCLIX Segobiæ positi, ad honorem ipsius Raimundi, cum bis iterato titulo Archiepiscopi Hispalensis. Profert eos Versus idem Davila in Theatro Ecclesiæ Segoviensis, tamquam Epitaphium: quo loquendi modo deceptus Tamayus, expreßius affirmavit, tanti Præsulis memoriam ea epigraphe in sarcophago conservari. Interim tam ipse quam Ægidius asserunt Raymundum dumtaxat obiisse anno MCCLXXXVIII; & antea in Theatro Hispalensi idem Davila dixerat, quod anno MCCLXXXV baptizarit Sancium, Alfonsi Sapientis secundogenitum, postea Regem, unde & Compater Regis vocatur a Morgado in Hist. Hispal. fol. III col. 1, allegante caput 17 Chronicæ Alfonsinæ.

[136] Non est autem Raymundi Epitaphium quod appellat Davila, ne tale quidem, quale etiam viventi poni posset; sed sunt quatuor Tituli, distinctim descripti, ac distributi per parietes ecclesiæ Parochialis S. Ægidii, cum ipsius adhuc viventis & parentum ibidem pridem tumulatorum memoria. Hoc intelliges, si placeat dividere versus, & correctis mendis, cum quibus eos edidit Davila, legere quomodo legi potuerunt, ac vero etiam debuerunt, ut aliquem tolerabilem sensum haberent.

*I.*

*Gloria Raymundi, perlustrans climata mundi, [quod erat anno 1259 quando tituli quidam Segobiæ positi sunt]*
*Ejusdem nomen & felix prædicat omen.*
*Segoviæ micuit Pastoris culmine pridem,*
*Hispalis Archiepisc. factus modo floret ibidem.*

*II.*

*Templum dotavit præsens ac ædificavit*

*Præsul præfatus Raymundus: quo est tumulatus*
*Præsulis ipsius pater Hugo, Richardaque mater,*
*Presbyter ipse pede quos calcat marmoris æde.*

*III.*

*Hæc loca fundavit, propriis fundata paravit.*
*Præsul expensis, Raymundus Segoviensis.*

*IV.*

*Hoc fundamentum sancti tenet ossa parentum*
*Præsulis; Hugo pater, mater Ricarda vocatur.*
*Claruit ex meritis ejus Segovia pridem,*
*Hispalis & tandem fuit Archiepiscopus idem.*

*Æra MCCLXXXXVII.*

[137] Eidem Raymundo, id est consilio & directioni ejus, [eo dirigente ordinatum Capitulum & Clerus,] adscribit etiam Davila prælaudatus erectionem Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum in ipsa Metropolitana Ecclesia; ubi hodie constat Capitulum Præbendatis nonaginta, inter quos undecim Dignitates, qui Archiepiscopo Pontificaliter celebranti aßissunt mitrati. Omnium autem in frequentando divino Officio commendatur aßiduitas: sed imprimis Beneficiatorum quos appellant Vicenæ, eo quod viginti Presbyteri, voce & cantus peritia præstantiores, suffragiis Capitularibus ad hoc eligantur, ut diurnis nocturnisque Horis indesinenter aßistant. His accedunt plures quam quadraginta Capellani, suffragiis Capituli similiter delecti. Hujus tertiæ atque ultimæ claßis fuit Venerab. P. Ferdinandus de Contreras, Apostolici plane spiritus concionator, tantoque animarum zelo æstuans, ut non solum ad Confeßiones audiendas esset aßiduus, sed frequenter etiam trajiceret in Africam, captivos Christianos de

barbarorum servitute redempturus. Hujus tamquam viri sancti causa cum in Romana Rota versetur, & pro impetranda canonizatione magna fiat ex parte Regis & Capituli instantia, erit fortaßis de eo plenius aliquando agendum in Supplemento Februarii, cujus mensis die XX an. MDXLVIII obiit, insigni tumulo conditus inter utrumque chorum, ubi nec Archiepiscopis quidem sepultura conceditur. Ad commendandam quoque Regii hujus Capituli præcellentiam facit, quod ex instituto Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ, quotquot in novo Orbe instituuntur Ecclesiæ, titulo Capellaniæ subjiciantur Ecclesiæ Hispalensi, jubeanturque secundum statuta & ceremonias illius ordinari. Item quod Urbanus VIII XVIII Novemb. MDCXXXVII speciali indulto cesserit provisione Præbendarum intra Pontificios menses vacantium, jure hoc in Archiepiscopum Capitulumque translato, etiamsi contingeret defunctum Præbendatum ipsius S.R.E. Cardinalem fuisse: uti & hæc & alia plura nobis Hispali perscripta fuerunt.

[138] Dum hæc ita strictim mihi indicantur, quæ fuse ac minutim tractantur ab historiæ Hispalensis scriptoribus Hispanis, [pro quibus in jus Ecclesiæ Hispalensis,] nec non a Michaele Angelo Laureto Italice; prodierat Neapoli, anno scilicet MDCLXXXI Discursus historicus, in quo per rerum gestarum seriem demonstratur Sanctum Regem Ferdinandum III, & Alfonsum X cognomento Sapientem illius filium, eorumque prædecessores Castellæ & Legionis Reges, habuisse jus disponendi de Decimis terrarum, quas e Saracenorum manibus recuperabant: quem Discursum ex authenticis documentis & illustrium Scriptorum traditionibus concinnasse se profitetur D. Rodericus de Quintanilla, Archidiaconus de Xerez, Dignitas & Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis I.V.D. Non est hujus loci tractatum istum, quamvis historicum, non dico inserere totum præsenti operi, sed vel strictim percurrere, prout in Paragraphos

CXVIII distinguitur. Satis erit ex §.92 docere, quomodo ea, quæ ibi vindicatur Decimarum pro arbitrio applicandarum facultate, Rex Sanctus usus sit in favorem Ecclesiæ Hispalensis. Instrumentum Donationis, ex veteri Castellano Latine redditum, sic delibat Archidiaconus præfatus. Notum sit omnibus &c. qualiter ego Don Ferdinandus Rex Castellæ &c. ad honorem Jesu Christi, qui est verus Deus, qui me direxit & auxiliatus est in meis gestis, & signanter in acquisitione civitatis Hispalensis; [transcribit Rex Decimas vectigalium civitatis,] dono & concedo Ecclesiæ Hispalensi in perpetuum, Decimam meorum vectigalium Hispalensium, omnium rerum ibi provenientium per mare & per terram, de quibus ego debeo habere mea jura. Et similiter dono Ecclesiæ Hispalensi Decimam omnium aliorum vectigalium, existentium in acquisitionibus a me factis & faciendis, favente Deo, & a post me regnantibus in Castella & Legione, ac in Archiepiscopatu Hispalensi. Et si forte Regina Donna Joanna aut Don Henricus ostenderent litteras Apostolicas, rationabiliter & juridice tales, ut valere debeant ad eos excusandos a Decima, eis valeat eorum jus. Et Archiepiscopatum intendo ego hoc modo, ut non comprehendantur ibi alii Episcopatus Provinciæ Hispalensis, nec res ad illos spectantes: sed volo, quod si aliquod oppidum Provinciæ Hispalensis fuit antiquitus Episcopatus tempore Christianorum, [& totius Provinciæ Hispalen.] & aliqua alia oppida fuerint istius Episcopatus & modo non sunt acquisita; quando illa acquisiero, seu ille qui post me in Castella & Legione [regnabit] acquisiverit; Ecclesia Hispalensis habeat Decimam & jus, quod Ego, aut ille qui post me in Castella & Legione regnabit, habebimus in illis locis, usque quo adsit Episcopus in loco: & quando aderit Episcopus in loco, redeat Decima & jus quod ibi in illis locis, Ego aut qui post me regnabit in Castella & Legione habebimus, [anno 1250.] ad Episcopum & Ecclesiam ejusdemmet oppidi; & excludantur Archiepiscopus & Ecclesia Hispalensis. Hæc

& alia plura simul cum Decimis donata, continet Instrumentum, factum Æra MCCLXXXVIII, sive anno Christi MCCL; quæ donatio, inquit Archidiaconus, fuit subscripta & confirmata a duobus Regis filiis, uti Procuratoribus Archiepiscopalium Ecclesiarum Toletanæ & Hispalensis, & ab uno & viginti Episcopis, aliisque Proceribus.

[139] Atque hæc, de Ecclesiæ statu, Hispali ordinato, dicta sunto: de politico, Mariana lib. 13 cap, 8. Regium, [Idem statum urbis civilem ordinat,] inquit, Senatum, cujus hoc tempore litibus dijudicandis summa in Castella est auctoritas, ab hoc Rege (S. Ferdinando) excogitatum esse memoratur, duodecim virorum Collegio creato, ad quos majores controversiæ spectant, & causæ ab aliis dijudicatæ ex provocatione, periculo pecuniæ, si is qui provocavit sit victus. Paulatim gliscente calumnia multitudineque causarum increscente, novum constituere forum opus fuit, cum antea civitates, domesticis judiciis contentæ, aut certe ad proximos conventus juris petendi causa appellantes solummodo, turpe ducerent atque importunum, Regium auxilium implorare. Magnis præterea viris legum condendarum potestas data est, colligendarum cura injuncta earum quas Partitas vulgo vocant: quod opus ingentis laboris Alfonso demum Rege perfectum est. Qualem porro Hispali juris dicendi rationem Rex Sanctus instituerit, colligere licet ex ea quam suo tempore servatam scribit Morgadus lib. 2 cap. 16, primo loco constituens Audientiam Regiam, [eique communicat privilegia civitatis Toletanæ.] a qua non detur appellatio. Non pauca eodem facientia habet etiam Zuniga, ad annum MCCL, postquam narrasset, quomodo Rex Sanctus, convocatis Hispali Regni Comitiis, Forum Toletanum, id est jura, privilegia, & immunitates Regiæ Toletanæ civitati ab avo ac tritavo suo, Alfonso VIII ac IX concessas & a se olim confirmatas, auctiores etiam in nonnullis, communicavit cum novis civitatis restitutæ incolis accolisque, eo quem ipse exhibet tenore,

secundum authenticum exemplar, jussu Ferdinandi atque Isabellæ Regum Catholicorum descriptum, & in Archivio publico servatum (nam originaria membrana deperiit) cujus initium ex veteri Castellano idiomate placet Latinum facere, quia spirat insignem Sancti Regis erga Deum & homines gratitudinem.

[140] In nomine illius Dei veri ac permanentis, qui unus est Deus cum Filio & Spiritu sancto, atque [per diploma, cœptum a fidei professione,] unus Dominus, in Personis trinus & in substantia unicus; illius, inquam, Dei qui ista nobis de sua gloria revelavit, de quo etiam eadem credimus ut nobis revelata sunt, de gloria ejus, & de Filio ejus, & de Spiritu sancto: itaque tenemus & recipimus Deitatem

veram ac permanentem, adorantes proprietatem in Personis, & in Essentia unitatem atque æqualitatem Divinitatis. In nomine autem hujus Trinitatis, in sua essentia individuæ, incepimus & terminamus omnia quæ fecimus opera bona, ipsamque invocamus, ut etiam hujus nostræ actionis sit principium ac finis. Amen.

[140] Reminiscantur omnes, quotquot hoc scriptum legent, grandium bonorum, grandium gratiarum, grandium beneficiorum, grandium decorum & prosperorum successuum, quæ fecit & exhibuit is, qui omnium bonorum initium & fons est Christianitati universæ, sigillatim in Castella ac Legione, [successus suos acceptos refert Deo & Sanctis,] in diebus ac temporibus nostris, Mei scilicet Domini Ferdinandi, per Dei gratiam Regis Castellæ, Toleti, Legionis, Galeciæ, Seviliæ & Jaëni. Intelligant autem & cognoscant, quod Deus tanta bona nobis fecerit & præstiterit, tam contra Christianos quam contra Mauros, non propter nostra merita, sed propter magnam suam bonitatem & grandem misericordiam; atque propter deprecationes & merita S. Mariæ, cujus famulus sumus;

nec non propter auxilium quod ipsa nobis tulit cum suo benedicto Filio: item propter deprecationes & merita S. Jacobi, cujus sumus Vexillifer, signum ejus tenentes, qui nobis adjutor semper ad victoriam fuit; quique, ut faceret bene Nobis & Filiis nostris; nostrisque Divitibus hominibus & Vassallis nostris, omnibusque populis Hispaniæ, constituit, ordinavit atque peregit per Nos, qui Miles ejus sumus, perque laborem nostrum, & cum auxilio atque consilio D. Alfonsi filii nostri primogeniti, & D. Alfonsi nostri germani fratris, atque filiorum nostrorum ceterorum; nec non cum auxilio atque consilio aliorum nostrorum Divitum-hominum, fideliumque nostrorum Vasallorum, Castellanorum ac Legionensium, ut acquireremus totam Andaluziam, ad Dei servitium augmentumque Christianitatis, amplius atque perfectius quam ab alio ullo Rege conquisita fuit, seu viro seu femina: qui quidem multum Nos honoravit, magnamque gratiam nobis fecit in ceteris nostris per Andaluziam victoriis; credimus tamen, [adjutoribus autem hominibus refert gratias,] quod tanto abundantiorem ac pleniorem favorem nobis exhibuit in conquisitione Seviliæ, quam fecimus cum auxilio potentiæ ejus, quanto illa major & nobilior est omnibus aliis Hispaniæ civitatibus. Ideo nos Ferdinandus, famulus & miles Christi, quandoquidem tanta beneficia, tantasque gratias, atque tot modis, accepimus ab eo qui est omne bonum; æquum & rationi congruum existimamus, bonorum illorum, quæ nobis fecit Deus, participes reddere nostros vasallos, & plebem quæ nobis venit Seviliam populatura. Et hac de causa, Nos, Rex Don Ferdinandus, simul cum Regina D. Joanna uxore nostra, & cum Infante D. Alfonso filio nostro primo herede, aliisque nostris filiis D. Frederico, & D. Henrico, damus & concedimus istis privilegium & libertates in hac charta contentas.

[141] Damus vobis, civibus Seviliæ, id quod communiter dicitur Forum Toletanum: [anno 1250, subsignantibus

Episcopis.] & damus Equitibus omnes immunitates, quibus gaudent Equites Toletani. Pergit deinde Rex eadem privilegia & immunitates in nonnullis punctis ampliare; genti etiam nauticæ proprium magistratum, jura, & privilegia constituere (quod Toleti, utique in mediterranea civitate, locum non habuerat) & præcavere difficultatibus, inter nautas civesque ac eorum magistratus causa jurisdictionis emersuris. Denique finiens, omnibus istic contenta violaturis interminatur suam atque divinam iram, mulctamque indicit centum marcarum auri, sibi aut post se regnanti pendendam. His vero sic veteri Castellana lingua deductis, sequentia omnia Latine subjunguntur, pro notitia styli istius temporis, personarumque, tunc repræsentantium Status Regni universi, haud indigna hic legi Facta charta apud Seviliam, Regiis expensis, quindecim Junii, Æra de MCCLXXXVIII annos. Et nos prænominatus Rex Ferdinandus, regnans in Castella, Legione, Gallecia, Sevilia, Corduva, Murcia, Jaëno, Baëtia, hoc Privilegium, quod fieri jussi, approbo, & manu propria roboro & confirmo.

Ecclesia Toletana vacat. Conf.
Infans Philippus Procurator Eccl. Hisp. Conf.
Ægidius Burgensis Episcop. Conf.
Nunnius Legionensis Episcop. Conf.
Petrus Zamorensis Episcop. Conf.
Petrus Salamantinus Episcop. Conf.
Rodericus Palentinus Episcop. Conf.
Raymundus Segoviensis Episcop. Conf.
Ægidius Oxomensis Episcop. Conf.
Matthæus Conchensis Episcop. Conf.
Benedictus Abulensis Episcop. Conf.
Haznarius Calagurritanus Episcop. Conf.
Paschasius Gienensis Episcop. Conf.
Adam Placentinus Episcop. Conf.
Ecclesia Cordubensis vacat. Conf.
[Col. 0360E] Petrus Astoricensis Episcop. Conf.

Leonardus Civitatensis Episcop. Conf.
Michael Lucensis Episcop. Conf.
Joannes Auriensis Episcop. Conf.
Ægidius Tudensis Episcop. Conf.
Joannes Mindoniensis Episcop. Conf.
Santius Cauriensis Episcop. Conf.

[142] Hactenus Episcopi, ubi quod Toletanæ & Cordubensis Ecclesiarum vacantium ratio habeatur, potius quam Compostellanæ aliarumque, per suos Episcopos non præsentium ideoque non nominatarum, videtur indicare speciale vacantium Ecclesiarum jus, ut per Delegatum poßint locum suum in Regni Statibus obtinere & acta publica confirmare; non item aliæ Episcopum habentes, ex quacumque causa interesse non valentem. Apparet interim Segoviensi, ratione commissæ sibi Hispalensis Ecclesiæ, nullam specialem prærogativam inter alios competere. Post illorum autem subscriptiones, sequuntur columnatim Proceres, octoni & octoni, primum Castellani, tum Legionenses & Galeci, ex iis qui supra videntur dici Homines-divites, & nunc fortaßis Grandes-Hispaniæ nuncuparentur, hoc ordine:

Alfonsus Lupi Conf. Rodericus Gomez Conf.

Alfonsus Telli Conf. Rodericus Frolaz Conf.

Munius Gonsalvi Conf. Gometius Ramirez Conf.

Alvarus Petri Conf. Ioannes Petri Conf.

Ioannes Garciæ Conf. Ferdinandus Ioannis Conf.

Gometius Roderisi Conf. Rodericus Roderici Conf.

Rodericus Gometii Conf. Alvarus Didaci Conf.

Simon Roderisi Conf.     Pelagius Petri Conf.

Porro post jam dictos utriusque Nationis Proceres signant sub utraque columna, ordine unico sigillatim, primarii quidam Regis Ministri, hoc modo: [Magnatibus,]
Didacus Lupi de Faro, Alferez Domini Regis Conf.
Rodericus Gonzalvi, Majordomus Curię Regis Conf.
Ferrandus Gonzalvi, Majormerinus in Castiella Conf.
Petrus Guterii, Major-merinus in Legione Conf.
Munio Ferrandi, Major-merinus in Galetia Conf.

Vbi Alferez, idem est quod Gonfalonero Italis, [& officialibus præcipuis.] vox Arabica, significans Equitem, velut antonomastice, ad denotandum primum in Ordine Equestri officium. Merinus, ex Majorino contractum, denotat Præfectum juri dicundo, quacumque in villa, oppido, civitate (Majorem alii dicunt, Galli Mayre) qui autem in eo Ordine primus, totique Provinciæ aut Regno cum potestate Prætoria antistat, Major-merinus.

Sancius Segoviensis scripsit, de mandato Magistri

Raymundi, Segoviensis Episcopi & Domini Regis Notarii, anno tertio ab illo, quo idem gloriosissimus Rex Ferdinandus cœpit Hispalim, nobilissimam civitatem, & eam restituit cultui Christiano. Notat autem Zuniga, istum morem distinguendorum, in subscriptionibus ejusmodi, Castellanorum a Legionensibus & Galecis, statim post factam Regnorum duorum conjunctionem reperiri, jam inde ab anno MCCXXXI. Qui porro ipsum textum Fori Toletani, ex Latino in Castellanum idioma antiquitus traducti, videre voluerit, inveniet apud jam dictum Zunigam, post textum Fori seu Privilegii Hispalensis.

[143] [Partitionem civitatis & agri absolvit filius successor,] Cœperat etiam Rex Sanctus inter novos incolas partiri civitatem ac territorium Hispalense: sed res

longioris operæ fuit, quam ut integre absolutam potuerit Rex sanctus videre. Cœptam ergo a patre distributionem perfecit, & legitimis tabulis consignavit successor Alfonsus, proximo anno a morte patris MCCLIII: quas tabulas integras exhibet Morgadus lib. 2 cap. 1, ex eoque transcripsit Carus parte 2. Earum principium, relatu dignum, hoc est, ex Hispanico translatum.

Seviliæ die Jovis primo Maji, æra millesima ducentesima nonagesima prima, ex scientia & magna voluntate quam habuit D. Alfonsus, [an. 1253 1 Maji.] Dei gratia Rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galitiæ, Seviliæ, Cordubæ, Murciæ, Jaën, præstandi obsequium Deo; & ad honorem prænobilis Regis D. Ferdinandi patris sui; & ad remunerandum Infantem D. Alfonsum patruum suum, suosque Fratres & Homines divites suos, & Ordines suos, & Nobiles suos, & omnes qui juverunt ipsum in obtinenda prænobili civitate Sevilia; propter servitium & auxilium quod fecerunt Regi D. Ferdinando patri suo & sibi in ea acquirenda, subjugandaque Andaluzia, populandaque & componenda prædicta nobili civitate Seviliæ; necesse habuit scire quot essent ibidem prædia, ficeta, oliveta, horti, vineæ, agri: & hoc scivit per D. Raymundum Episcopum Segoviensem & per Lupum de Mendoza.... qui totum Hispalense territorium circuiverunt, & sigillatim omnia cognoverunt: & secundum quod illi retulerunt esse in quovis loco, distributionem fecit Rex, prout describitur in hoc libro. Extat liber ipse in Archivio Capituli Hispalensis, [liber de ea originaliter inveniendus apud Spinosam.] ex quo totum transscripsit Paulus Spinosa, posuitque in fronte lib. 5 Historiæ suæ Hispalensis; qui liber, si non est primum & originale scriptum, est saltem ex primo sumptum authenticum exemplum: sic enim verbis Latinis subsignatur. Istum librum excussit Gomesius Martin de la Mota, Notarius Altissimi Regis Castellæ. Benedictus sit Dominus in secula seculorum. Amen. Multa istic indicantur loca, quorum vetus appellatio jussu Regis

dicitur in aliam commutata. Sic dicitur statim in principio, quod D. Alfonso patruo suo dedit Rex pagum, qui tempore Maurorum dicebatur Corcolina; Rex autem posuit ei nomen Molinæ, estque in terminio San-Lucariensi. Atque hinc apud Morgadum, vetera haud dubie monumenta secutum, prædictus Princeps semper appellatur Dominus de Molina, non ab alio aliquo in Castella vel Legione loco. Cum autem dubium esse vix poßit, quin ex eo tempore plura alia loca aut omnino desierint nominari, aut appellationem mutaverint; probabile etiam fit, horum quoque notitiam renovari posse auxilio libri prædicti; scilicet ex nominibus vicinorum locorum, adhuc quadamtenus superstitibus; ut nihil dicam de multarum illustrium familiarum progenitoribus, indidem eruendis ei, cui Genealogicum studium placeret. Addit Lauretus pag. 355. Præfectum primum Alcazarii Hispalensis a sancto Rege constitutum fuisse Don Nunnium Gonzalvi de Lara & Herrera, quæ dignitas hodieque conservetur in excellentissima familia Dominorum Comitum Ducum de Olivares; quod neque negare, mihi neque asserere est animus, nescienti quam magnæ vel parvæ antiquitatis auctoritatisque testimonio id nitatur.

## CAPUT XVIII.
## Ferdinandi Regis extrema gesta ac pientissimus obitus.

[144] Postea victoriam suam ipse per se prosequens Rex præclarus, obtinuit Xerez, Medinam, [Post 8 annos in Andaluzia actos,] Alcalam, Bejar, Sanctam-Mariam a portu, & Gades intra ipsum mare sitas; nec non Sanlucar de Alpechin, Arcos, Lebrixam, Rotam, Trebuxenam aliaque loca plurima, haud facile nominanda sigillatim, ac denique quidquid ad hanc partem a cis mare est regionum. * Totos octo annos in Andaluzia transegit Ferdinandus, neque amplius in Castellam rediit; eoque tempore ærumnas & pericula multa sustinuit; quia

quemcumque locum obsidione cinxisset, non prius fere dimittebat quam obtinuisset, quantumcumque gravem ac diuturnum agonem propositum sibi videret. Vixit autem post occupatam Hispalim annis tribus & quinque mensibus; & hic finivit cum ipsa vita cursum gloriosorum suorum certaminum, quia tantus ardor ei inerat recuperandæ totius Andaluziæ, ut numquam persuaderi sibi siverit reditum in Castellam. Quia autem jam obtinuerat quidquid cis mare possident Mauri, desiderabat etiam transfretare, ad ipsos in Africa debellandos. Jamque præcurrens adventus ejus fama magnum ubique terrorem sparserat, [trajecturus in Africam Sanctus moritur.] tum quia credebant non destiturum a proposito, quod fixum certumque ei esse dicebatur; tum quia diffidebant se posse resistere potentiæ, animo, atque fortunæ ejus. Unde complures istarum partium Toparchæ constitutum habuerunt, eidem, si trajiceret, subdere sese; ut dubium nullum sit, quin vehementer etiam istic dilataturus imperium fuerit, si longior sibi vita obtigisset. Verum aliter visum Deo, vitæ ac mortis Domino; cujus dispositioni neque Rex, neque Imperator, neque alius cujuscumque conditionis homo potest resistere, & mortem ab eo decretam fugiendo declinare. Omnibus siquidem communis mors est, aliis tamen honorata illa felixque contingit, aliis infortunata atque ingloria. Nunc ergo qualem Beatus Rex Ferdinandus sortitus sit, enarret historia.

[145] Mortuus est Rex inclitus Ferdinandus, post tot tamque heroica facinora, [Vitam, omnibus virtutibus ornatam,] post tam insignes de Mauris victorias, post tantum cumulum laudis ac decoris conquisitum: qui praeterquam quod hominibus carus fuerit, fuit etiam dilectissimus Deo; ab eodem spatium vitæ nactus, quo tanta agere pro nominis divini gloria posset in terris, & in cælis consequi coronam tam grandibus meritis debitam. Sic autem mortuus, quomodo non dicetur habuisse

mortem felicem atque honoratam, quamvis Christianitati toti, per ipsum exaltatæ atque ornatæ, luctuosam? Sed imprimis luxerunt eum subditi sui, quibus Regis sui tam excellens virtus præsidio simul erat & ornamento. Fuit enim exercitio virtutum heroicarum semper intentus, otiosus numquam; fortis in conflictibus, felix in progressibus, gloriosus in victoriis; liberalis & munificus erga benemeritos, praesertim Viros nobiles, Ecclesias, Ordines religiosos, Adalidas, & Almogavares; conditor legum & consuetudinum optimarum, immunitatum privilegiorumque largitor, ministrator justitiæ; multa prudentia, scientia, clementia & pietate præditus; amabilis bonis, terribilis malis; custos veritatis, fidei servantissimus: & ideo Mauri, licet eum timerent, amabant tamen, quia numquam non fidelem experiebantur. Fidei Christianæ exaltator præcipuus, infidelium persecutor acerrimus, mandatorum divinorum observantissimus fuit hic Rex; ideoque, sicut in omnibus actionibus suis Dei honorem & gloriam semper præ oculis habuit, quæ Dei sunt ante omnia curans; ita etiam Deus ipsum in omnibus juvit & prosperari fecit, dando ei victorias tot ac tantas de fidei nostræ sanctæ inimicis, civitatesque & oppida tam multa, tam nobilia eidem subjiciens per Hispaniam, quot & quanta in hac historia commemorantur. Denique tot ejus extiterunt virtutes, ut omnes enumerare & explicare humani vires ingenii superet.

[146] Regnavit Rex Catholicus Ferdinandus triginta quinque annis, [concludit Ferdinandus, anno Regni 35,] & obiit in nobilissima urbium Hispali, quam Mauris eripuerat. Quando autem sensit moriendum sibi esse, accersivit filium suum D. Philippum, electum Archiepiscopum Hispalensem, aliosque ibidem præsentes Episcopos & Clerum universum, ac petiit præberi sibi Corpus D.N. Jesu Christi. Quod ubi inferri a Sacerdote vidit, cum humilitate profundissima volens excipere, de

lecto in genua se conjecit; collumque laqueo assumpto implicans, postulatam Crucifixi imaginem ante se collocavit. Cui humillime se inclinans, ipsamque adorans, omnia sigillatim Dominicæ passionis tormenta in cruce tolerata enumeravit: & crebris eam osculis devenerans, multaque cum contritione & lacrymis pectus percutiens, peccatorem se maximum fatebatur, ac delictorum veniam postulabat a Deo. Deinde protestatus est, se firmiter tenere ac credere omnes fidei Christianæ articulos, in eaque fide mori velle. Tum vero petiit Corpus Domini; quod sibi exhibitum adoravit devotissime, manus in cælum elevans, [munitus Viatico] oculisque in illud defixis pronuntiavit preces aliquas, magnæ fidei atque contritionis formulam continentes; atque ita demum adoratum sanctissimum Sacramentum suscepit de manu D. Raymundi Archiepiscopi Hispalensis.

[147] Hoc facto exui jussit atque auferri a se omnia Regiæ dignitatis indumenta, & cunctos liberos ad se vocari, videlicet hos, D. Alfonsum, primogenitum atque heredem regnorum suorum; [& convocatis liberis;] D. Fredericum, D. Henricum, D. Philippum, D. Emmanuelem; aberant autem D. Sancius, utpote Archiepiscopus; & D. Berengaria, monacha Burgis in monasterio de las Huelgas. Atque hi nati fuerant ex prima uxore D. Beatrice: ex secunda vero D. Joanna adfuerunt, D. Ferdinandus, D. Leonora, & D. Ludovicus omnium minimus. Hos autem ubi junctim adesse vidit, una cum D. Joanna multum afflicta; primo appellavit D. Alfonsum, successorem futurum, eique benedictionem suam impertivit, deinde ceteris ex ordine liberis. Coram omnibus præterea Magnatibus regni sui sermonem convertit ad Alfonsum, docens atque erudiens, qua ratione status suos regere ac gubernare deberet; injungens etiam eidem curam germanorum, ad omnem virtutem educandorum, quantumque posset evehendorum ad dignitates cuique congruas in regno, [primogenitoque Alfonso monita postrema relinquens,] atque amore

fraterno complectendorum; tum ut Reginam Joannam haberet sibi commendatissimam, honoraret ut matrem, omni solatio obsequioque foveret; voluit etiam Infantem fratrem suum Alfonsum aliosque fratres eidem commendatos. Denique injunxit ei, ut Regni Proceres, Nobiles & Equites omnes haberet honorifice atque munifice, & sua cuique privilegia illibata servaret: & addidit, si omnia ista adimpleret, benedictionem suam plenam super eum descensuram; sin minus, maledictionem super eum venturam; & voluit ut ipse subjiceret, Amen. Tum dixit: Fili mi, vides, quomodo sis auctus opibus, subditis, possessionibus, præ quam alius ullus Rex Christianus: satage ut recte utaris omnibus; sisque bonus, tot bene agendi media nactus. Manes Dominus ejus omnis terræ, quam Regi Roderico Mauri eripuerunt: si hoc in statu, quem tibi relinquo, regnum sciveris conservare, tam bonus Rex eris atque ego fui: non item, si amiseris aliquid.

[148] [cum cereo in manibus] Cumque jam advenisset hora, qua Rex sanctus animam esset redditurus Creatori suo, conspexit Sanctorum se expectantium societatem; multumque eo visu recreatus, dedit gratias Deo: petiitque Cereum benedictum, in manibus ritu Christiano tenendum. Prius tamen quam eum apprehenderet, elevatis in cælum oculis, dixit: Domine, dedisti mihi regnum, quod non habebam; & majorem honorem atque potentiam, quam merebar: dedisti mihi quantum fuit voluntatis tuæ sanctæ: & pro his omnibus gratias tibi reddo, & resigno in manus tuas regnum, quantis potui incrementis auctum: [pie defungitur,] animam quoque meam tibi offero. Tum veniam ab omnibus circumstantibus petiit, ignosci postulans, si quam alicui eorum dedisset querendi de se causam: & illi vicissim lacrymantes orabant, ut sibi culpas suas condonaret. Mox candelam accepit, & eam ambabus manibus in sublime efferens, Domine, inquit, Jesu Christe, Redemptor mi, nudus

egressus sum de ventre matris meæ, & nudus revertor in terram: suscipe, Domine, animam meam; & per merita sanctissimæ Passionis tuæ, placeat eam collocare inter servos tuos. Deinde manus cum candela demisit, & tamquam fidelis Christianus Deum patrem adoravit, jussitque ut Clerus totus recitaret Letanias, elataque voce Te Deum laudamus decantaret. Denique inclinato capite & oculis clausis, animam Deo reddidit, quam inter fideles ac sanctos habeat cælestis gloria. Amen.

[149] Nulla lingua poterit explicare, qui planctus, quæ lamenta fuerint per omnes regni partes, propter mortem tam sancti Regis. Quis enim unquam vidit tot matronas ac virgines celsissimi generis capillitium ponere, lacerare genas, vocibus querulis lamentari? quis tot Infantes, Equites, Infanzones, Nobiles, Ricos-homines, radere barbas, pilos vellere, in seipsos sævire? Profecto nemo super alicujus Regis morte luctum ejusmodi conspexit. Dies autem ille luctuosus fuit dies Jovis, idemque trigesimus mensis Maji, [30 Maji 1252,] anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo: & die tertio, videlicet sabbato, sepultum est corpus in sancta Hispalensi ecclesia: ubi usque hodie habetur in maxima veneratione. Missam celebravit Archiepiscopus Hispalensis: ac deinde in laudem defuncti sermonem habuit. Rex vero Granatæ, morte ejus intellecta, jussit planctum maximum fieri per totum regnum; idque jure meritissimo, quia sub protectione atque tutela ejus securus degebat. [subditis, etiam Mauris deploratus.] Neque solum per Castellæ atque Leonis regna, sed per universam Hispaniam, mors Ferdinandi fuit lamentata: propter ipsum enim illa celebrabatur per universum mundum, magis adhuc exaltanda, si diutius vivere potuisset. Specialiter autem concessum ei a Deo fuit, quod eo regnante nullus annus in Hispania & præsertim in ditionibus ei subditis, fuit sterilitate aut pestilentia notatus. Benedictus sit dies, quo Rex iste natus est:

quandoquidem Deus ei fecerit gratiam, ut per suas sanctas actiones consequeretur tantum honorem in hoc mundo, & in altero gloriam permanentem; in qua ipsum habeat Deus cum Sanctis, sempiterna fruentem beatitudine. Amen. Nobis vero concedat gratiam, ut similia opera possimus facere, quibus mereamur partem habere in regno suo sancto, ubi est perpetua claritas & gloria infinita, per æterna secula. Amen. Deo gratias.

## ANNOTATA.

Scilicet cis mare Oceanum, ubi omnia loca hic nominata inveniet lector, in chorographica tabula Andaluziæ, sed cum addito ad distinctionem cognomine, puta Medina-Sidonia, Alcala de los Gazules, San-Lucar de Barrameda. San-lucar de Alpechin, alias la Major cognominatum, Trianensi suburbio ad Occidentem paucarum leucarum intervallo adjacet. Quod vero hic dicitur Bejar, videtur in tabulis dici Bege vel Beger, ad fretum Herculeum prope Tariffam. [Afrorum hoc tempore regiones cis mare.] Gaditanam peninsulam vide sis accuratißime delineatam in Atlante Blaviano. In ipsum vero sinum, quem ea format, effunditur rivulus Guadalete, supra quem consequenter consistunt, hic nominata loca, Arcos, Xerez, & S. Maria: sed postremum nomen credo suffectum antiquiori alteri Maurico. Tariffa, Gibraltar, & reliqua versus Granatense regnum loca ad fretum ac mare mediterraneum, vel tunc adhuc ad regnum Granatense pertinebant, a posteris Regibus denique ei subtracta; vel tributaria Ferdinando reddita, ejus nepoti rebellarunt; solicitis Mauris, ut, servato sibi tam commodo in Hispaniam ex Africa trajectu, spem quoque recuperandi aliquando ibidem Imperii conservarent. Ad Algarbiorum Regnum quod attinet, [Algarbii.] non videtur illud Sanctus victoriis suis attigisse, sed potius reliquisse Lusitanis vindicandum, velut partem veteris Lusitaniæ. Certe primus Alfonsus X invenitur se Regem Algarbiorum scripsisse, idque post

quam Pelagius Correa, de quo frequens mentio in hac historia, præcipua quædam loca expugnaverat, cetera tributo subjecerat. Postquam autem idem Alfonsus filiam suam notham Beatricem matrimonio junxit Alsonfo III Lusitaniæ Regi, dotis nomine eidem accesserunt Algarbii, ex eoque tempore manserunt dominationis Portugallicæ.

Mariana addit, quod hunc in finem, In Cantabriæ finibus nova & numerosior classis ædificabatur, quo tempore Regem morbi vis invasit.

Lauretus lib. 1 pag. 359, allegata historia Segoviensi Colmenarii, asserit, Sanctum, mediante suo Archithalasso, fœdus offensivum ac defensivum inivisse cum Rege Marochensi, ut haberet exponendo militi commodum portum; in illud autem fœdus noluisse recipere Regem Bellamerinum, paratum similiter cum ipso pacisci, eo quod hostis Marochensi esset. Sed lib. 2 pag. 157 idem Lauretus, invertens nomina, Bellamerinum in fœdus receptum, rejectum Marochiensem scribit, memoria lapsus. Pro Marochiensi facit, quod sub eo Christiani, satis quiete agentes, proprium ea ætate Episcopum haberent; quem Lauretus lib. 1 pag. 348 inter eos numerat, qui Hispalensis urbis deditioni adfuerunt, eamdem simul cum Sancto ingreßi; Lupum fortaßis, quem Alexander IV anno MCCLV Legati dignitate per Africam ornavit, uti ex ejus Epist. 230 docet Odericus Raynaldus tomo 14 Annalium.

Vtrum eam electionem approbare noluerit Innocentius Papa, [Philippus Sancti filius, non Episcopus, sed Administrator Hispalensis.] aut ipse Philippus fuerit a sacris Ordinibus suscipiendis alienior, compertum non habeo: hoc certum, quod auctores ei dent titulum Administratoris, & ipse, in præfato Patris Instrumento privilegiorum Hispalensibus concessorum, confirmans sua manu scribitur, Infans Philippus, Procurator Ecclesiæ

Hispalensis. Certum est etiam quod numquam fuerit consecratus vel ad majores Ordines promotus: siquidem postea uxorem duxit Christianam, Regis Norvegiæ filiam, eo consilio adductam, ut Alphonso uxorem sterilem repudiaturo nuberet; sed Regina interim gravida facta, mutavit Rex consilium, & fratri virginem habendam dedit, suæ apud Norvegos æstimationi sic consulens. Notabilis certe petulantia Regum istius ævi erat, [Sterilitas conjugam causa divortio sec. 13.] quod justam divortio faciendo novisque nuptiis contrahendis causam se habere crederent, si sterilis uxor manebat. Ita etiam prædictus Lusitanus. ex Francia quo profugerat rediens, optime de se meritam Mathildem Bononiæ Comitissam, quam viduam & grandævam uxorem exul duxerat, dimisit; ac Beatricem, ut dictum est, suscepit, improbante palam Ecclesia; adeo ut postea, Mechtilde mortua, ægre impetrari potuerit ab Apostolica Sede, ut adulterinum cum Beatrice contubernium purgaretur, furetque legitimum matrimonium.

Si patre moriente Archiepiscopus Toletanus erat Sancius, [Paschalis Archiep. Toletanus quando?] saltem Electus (quod absque irrefragabili actorum publicorum testimonio non ausim in dubium revocare, contra hanc tam expressam auctoris talis auctoritatem) erravit Tamajus, quando Guterii successorem Paschasium, anno 1250 ordinatum, ait supervixisse usque ad annum 1262; & rectius fecerunt, qui Paschalem istum medium collocarunt inter duos Sancios; Castellanum de quo hic agitur, [Col. 0363E] & Aragonem de quo etiam supra ad Cap. 5 litt. I.

Alfonsus Nuniez de Castro, in Annalibus apud Zunigam, testatur, [Alfonsus Ferdinandez, an sancti Regis postumus?] in monasterio Metaplanæ inveniri ac legi epitaphium, lingua Castellana sic scriptum: Hic jacet Infans Don Alfonsus Ferdinandez, filius præcelsi Regis D. Ferdinandi, ejus qui Seviliam obtinuit, & gloriosæ Reginæ

D. Joannæ. Obiit ultima Septembris, Æra 1350, id est anno Christi 1312. Hinc Zuniga colligi putat Joannam, moriente Sancto, gravidam fuisse. Sed quam mirum esset, hoc taceri potuisse in Actis Sancti Regis; tam videtur impoßibile, ut de longævæ adeo vitæ Principe nulla uspiam mentio inveniretur in Chronicis subsequentium Regum. Quod si non animadvertit Zuniga, easdem Chronicas alias diligenter scrutatus; [verius nepos,] animadverterunt alii, haud immerito suspicati, Epitaphium istud esse figmentum Antonii Lupiani, de multis ejusmodi imposturis convicti, ut pluribus doceo in addendis post num. 71 in serie Chronologica Hierosolymitanorum Episcoporum. Causam fictioni præbuit cognomentum Fernandez, quasi id sumi solum potuerit a patre; cum exemplis variis doceri poßit, etiam ab avis illud sumpsisse eos, quibus idem erat cum patre nomen. Dubium autem in hoc casu omne tollunt instrumenta complura, ex quibus constat Alfonsum Fernandez, Molinæ Dominum, & Mataplanæ sepultum, [filius Alfonsi X.] fuisse filium Alfonsi Sapientis & Mariæ Morantis. Pro cunctis sit mandatum, de Decimis Ecclesiæ Hispalensi dandis, quod in ejus loci servatur archivo, signatum XXVIII Maji Æræ MCCCXII, qui est annus Christi 1274, & incipit: Alfonsus Dei gratia Rex Castelle, Toleti, Legionis, Galiciæ, Seviliæ, Murciæ atque Jaëni, & Alegarbiarum, Vobis, Alfonso Ferdinandes filio meo, Domino Molinæ & Mesæ, omnibusque Divitibus & possessiones habentibus in Archiepiscopatu Hispalensi, salus & Gratia. Sciatis & c.
End Noteg

Iam diximus num. 17, Alfonso Legionensi plures liberos fuisse, extra matrimonium genitos, [A. Legionensis Natura ei plures, Sancti R. fratres,] ac verosimiliter post divortium geminum ab iis quas male duxerat Reginis. Enumerat eos Rodericus Mendez de Silva, in Catalogo Regio-Genealogico hoc ordine:
Don Fernandus, Decanus S. Iacobi.

Don Alfonsus, Major Prætor Fronteræ.
Don Petrus, Ordinis S. Iacobi Magister XIII, de functus anno 1228.
Doña Teresa, nupta Don Nunio Gonzales de Lara.
Doña Aldonza, sponsa Comitis Petri, unde procedit familia Dominorum Ponce de Leon, Ducum de Arcos.
Doña Urraca, nupta Don Lupo Diaz de Haro, quorum filia Mencia nupsit Sancio II Lusitaniæ Regi.
Don Martinus, (ex cujus secundo matrimonio proceßit stirps celebrium Gironum, Ducum Ossunæ) sepultus in Salmanticensi S. Spiritu, monasterio.
Doña Maria.
Doña Sancia, nupta D. Simoni Ruiz de Haro, Domino de Camberiis.
Doña Urraca, uxor D. Petri Nuniez de Gusman, Præfecti Castellæ.
Don Nunius, multæ in Castella nobilitatis pater.

Infelix iste Rodericus regnum vitamque amisit anno 713, ultimus Regum Visigothorum: qui cum possederint quidquid intra Pyrenæos montes jacet, nec parvum etiam terræ tractum ultra eosdem, puta Navarram, Arragoniam, Catalauniam, Vasconiam, nec non Portugalliam; verbo, Hispanias omnes; cum etiam Mauri dominati sint iisdem fere omnibus (nam apud Astures, Cantabrosque servata utcumque libertas est, locorumque asperitate defensa) patet hunc loquendi modum indulgenti acceptione opus habere, totumque sumi pro parte præcipua.

Ricus, voce Teutonica Ryk, dives. In supra memorata distributione Alphonsi Regis, Ricos-homes invenies nominatos, ante Ordenes e Fijosdalgo, id est, Nobiles: ut appareat fuisse eam appellationem non vulgaris notæ & dignitatis. Vitalis Episc. Oscensis apud Cangium, verbo Infanciones, horum primam ac nobiliorem speciem facit Barones vel Ricos homines: talisque fuit Raymundus ille Bonifacii, Architalassus S. Ferdinandi, supra laudatus.

Anno siquidem 1252 Bissextili litteræ Dominicales fuerunt G F.

Nisi ante novæ ecclesiæ molitionem scripsisset auctor, non dixisset simpliciter Ecclesiam, sed addidisset veterem: sicut neque superius, ubi de Mezquita & turri, vel minimum indicium dat novæ fabricæ inchoatæ, nedum perfectæ. Addit Lauretus lib. 1 pag. 373 extremis verbis mandasse Sanctum; Ad pedes Mariæ collocate miserrimum meum cadaver: idque pag. 385 ita impletum ait, ut non fuerit Sanctus ante altare sepultus, sicut intenderat, sed supra ipsum ad pedes statuæ Marianæ locatus; quod factum non credimus, nuuc autem ut fiat cogitari intelligimus.